


PALAESTRA LATINA



ANN. XXVI (Fasc. I) – N. 153
M. MARTIO A. MCMLVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

L. M. ^o SANSEGUNDO, <i>Quinam et dicendi et habendi sint beati</i>	1
A. ALBERTINI, <i>Cogitatio in itinere dulcis</i>	10
AE. ORTH, <i>De Caesare</i>	16
J. M. ^o MIR, <i>Statio - ferrivia</i>	19
P. AVENARIUS, <i>Mussolinius celebrat pervigilium Natalis Domini</i>	27
I. GONZÁLEZ, <i>Nova et Vetera: Via</i>	31
A. MORTERA - JOS. MORABITO, <i>Frutta - Fructus</i>	34
N. MANGEOT, <i>De subito regni Cretici interitu</i>	38
M. MOLINA, <i>Romam versus</i>	40
M. MOLINA, <i>Vicit amor</i>	43
P. MODERATOR, <i>Sociis et alumnis responsa dantur</i>	45
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	46
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	49
BIBLIOGRAPHIA, I. González, J. Aspa	51
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Paedagogus: Visne Latine scire? Lege... — Praecepta vitae informandae</i>	57
REGINA RIPPEL, <i>De Haensel et Gretel</i>	58
J. ESIAYA, J. RIBA, J. COMAS, B. FORCANO, <i>Alumnorum scripta</i>	59
D. RUIZ, <i>Horatius Cocles</i>	60
<i>Paedagogus: Miscentes utile dulci</i>	62
<i>Paedagogus: Aenigmata; Picturae; Solutiones</i>	63
HERREROS, PAEDAGOGUS, FORCANO, CABRE, RAMIRO, LATKOVSKI, <i>Curiosa et jocosa</i>	64

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVI (FASC. I) – N. 153

M. MARTIO

A. MCMLVI

QUINAM ET DICENDI ET HABENDI SINT BEATI

Omnes insatiabili quadam cupiditate beate vivendi incensi sumus¹. At vero, qui dicendi sunt beati?

«Equidem eos existimo – ait Cicero² –, qui sunt in bonis, nullo adjuncto malo», neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. Porro, tragicus ille Graecus, Euripidem dico³, prius asseruerat:

Κείνος ὀλβιώτατος

Ὅτι κατ'ἡμᾶρ τογγάνει μῆδὲν κακόν.

Quod ipsum bonum, non accessione neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum.⁴ Nam omnia, quae sumenda, quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desiderare videatur. Nam qui beatus est «non intellego quid requirat, ut sit beatior; si est enim quod desit, ne beatus quidem esse potest»⁵, neque quisquam nisi stabili et fixo et permanenti bono beatus esse potest. Namque an dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata compleatur, si id potest amitti? nihil enim interarescere, nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Etenim, qui timebit, ne quid ex iis deperdat, beatus esse non poterit; «volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum, non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo».⁶ Qui autem illam maxime optatam et expetitam vacuita-

1. Cic. *De Fin.* 5, 29, 86.

2. Id. *Tusc.* 5, 10, 28 et 29.

3. *Hecub.* 627-628.

4. Cic. *De Fin.* 3, 10, 34; 5, 28, 83; *Parad.* 1 et 2.

5. Id. *De Fin.* 4, 17, 46; *Tusc.* 5, 8, 23.

6. Id. *Tusc.* 5, 14, 40 et 41. Consulas etiam quae dicuntur ibidem, paulo infra, nempe 42.

tem aegritudinis habere quisquam potest, cui aut adsit aut adesse possit multitudo in aliorum?

Nunc vero, ex scriptorum placitis, et cum primis Ciceronis, constituam quid et quale sit id de quo quaerimus, nempe beatitudo, ut ratione et via procedat oratio.

IN TERRIS NEMO UNQUAM BEATUS

Haec sententia plus minus his verbis expressa, apud scriptores et Graecos et Latinos occurrat quam maxime. Numquam enim oportet felicem existimare sortem fortunati viri, priusquam vitam finierit. Nam exiguo tempore, ubi se fortuna mutat —quod saepenumero accidere solet—, et Deo ita videtur, omnia, quae hominibus falso videntur, bona prorsus evanescunt. «Fata enim regunt homines»⁷, et «fatis agimur; cedite fati»⁸. Et alibi idem Seneca⁹:

Regitur fati mortale genus
Nec tibi quicquam spondere potest
Firmum et stabile:
Per quae casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.

Epaminondas percontatus quisnam inter omnes duces omnium esset fortissimus, ipse an Chabrias, an Iphicrates, respondit: «hoc judicare satis arduum est, dum vivimus». Indicare autem voluit, Solonis sententiam esse verissimam qui «neminem ante mortem beatum» judicabat. Quamdiu enim vivit homo, variis fortunae casibus ita involvitur, ut nunc elevetur, nunc deprimatur. Sola igitur mors ostendet, qualis fuerit unusquisque dum vixerit. Et hoc est quod dicit Sophocles:¹⁰

Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος,
Κακὸν δὲ καὶ ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μίᾳ.

Idem fere invenias apud Ausonium:¹¹ «Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sint». Et Naso¹²:

Ultima semper
Exspectanda dies homini est, dicitur beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Dionysius autem tyrannus: «Nullus unquam iudicet hominem mortalem

7. JUVEN. *Sat.* 9. 32. Confer etiam VERG. *Aen.* 6, 376.

8. SENECA. *Oed.* 980 sqq.

9. *Octav.* 924-928. Consule quae habet MANIL. 4, 12 sqq. et STAT. *Sylv.* 5, 1, 165-169.

10. *Oedip. R.* 614-615.

11. *Sept. sap. sent.*

12. *Metam.* 3. 135-137. Tritum est autem illud Flacci: «Nihil est ab omni / parte beatus». *Od.* 2, 16, 27-28.

esse beatum, antequam pie defunctum viderit. Mortuum laudare tutum est. Non enim terrigenarum quispiam per omnia beatus: Οὐ γὰρ τις ἐπιχθονίων πάντα εὐδαίμων ἔφυ. ¹³

BEATITUDO, SI QUAE SIT, NON IN VOLUPTATE CONSISTIT

Humanae menti, huic divīno muneri ac dono, nihil tam inimicum sit, quam voluptas. Nam voluptatis illecebrae veram hominis beatitudinem parere nullo modo possunt, quae cum sese non foris solum jactent nec tantum in alios caeco impetu incurrant, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissideant atque discordent, ex eo vitam amarissimam necesse est effici. ¹⁴

Et profecto ita se res habet. Xerxes – ut ait Tullius – refertus omnibus praemiis donisque fortunae non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem! Qua ipsa non fuit contentus; neque enim unquam finem invenient libidines, infinitaque quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari valent, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt istae cupiditates immensae et inmanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. ¹⁵

Ita motus turbulenti jactationesque animorum incitatae et impetum inconsiderato elatae, rationem omnem repellentes, vitae beatae nullam partem relinquunt. Neque enim libidine dominante, temperantiae locus esse neque omnino in voluptatis regno virtus consistere potest, cum nemini dubium sit, quin homo tamdiu, quamdiu incitatus corporis voluptate gaudeat, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi possit. Quocirca nihil est tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptas, siquidem ea, cum major est atque longior, omne animi lumen exstinguit, et ii qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, nihil altum, nihil, ut patet, magnificum ac divinum suscipere queunt, omnes suas cogitationes abicientes in rem tam humilem tamque contemptam. ¹⁶

13. *Bacchylides*, 3, 136.

14. *Cic. De Fin.* 1, 13, 44.

15. *Id. Tusc.* 5, 7, 20; *De Rep.* 5, 1; *Parad.* 1; *De Fin.* 1, 18, 59 et 2, 9, 27. Adt, sis; *De Fin.* 1, 13, 43.

16. Lege, quaeso, quae idem Tullius dicit hac de re in opere *De Senect.* 12, 39 et 40: Itaque «nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus dicebat [Archytas Tarentinus magnus in primis et praeclarus vir], a natura datam, cujus voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditioes, hinc rerum publicarum everisiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci, nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis». Cf. etiam *De Fin.* 1, 13, 44; *Id. De Senect.* 12, 41 et *De Amic.* 9, 32. Lege quoque, quae Cicero elegantissime, ut assolet, de hoc argumento fusius disputavit in opere *De Fin.* 1, c. 19 itemque in 1, 13, 43 sqq.

Porro voluptas, ut ita dicam, non affert voluptatem, immo vero ei plane officit atque fastidit. Cedo, si voluptati, ut remedium adhibeas, indulges, nonne malo medeberis malo? ut ajebat Graecus historicus: Μὴ τὸ κακὸν τῷδε κακῷ ἴω. ¹⁷ Et Sophocles: Δευτέραν ἔπαισας ἐπὶ νόσῳ νόσον ¹⁸. Itaque, malam malo adhibens medicinam, majorem malo noxam dabis et tibi aegroto morbum addas conduplicando morbum, adeo ut ad vulnus vulnus alterum infligere videaris: Μὴ πῶς τις ἐφ' ἑλκεῖ ἕλκος ἄρηται. ¹⁹ Sic huic infelicitati nullo modo mederi poteris: Ἀπορία τὸ δυστυχεῖν. ²⁰

SED NEQUE IN VIRIBUS, NEQUE IN FORMA, NEQUE IN
OPIBUS NEQUE IN EJUSMODI ALIIS INEST BEATITUDO

Sic enim imperator ille philosophus ²¹. Et quidem non beatus est ille quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluit, «sed illum Seneca beatum asserit, cui omne bonum in animo est, erectum et mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit; qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est; qui natura duce atque magistra utitur, et ad illius leges componitur» ²². Ab iis non abludit Flaccus, qui ait bonum illum esse, qui leges et jura pro viribus servat ²³:

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat.

«Sic vivit [vir ille beatus], quomodo illa [lex] praescipit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit» ²⁴. Et Plato: ²⁵ «Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν».

Vir ejusmodi, inconcussus atque intrepidus est, quem si aliqua vis movet, nulla perturbat; in quem fortuna cum quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat. ²⁶

17. HERODOTH. in *Thal.* 3, 53. Item AESCHYL. *fr. B. A.* 48: μὴ κακοῖς ἰὼ κακά. Vide THUC. 5, 65.

18. *At.* 355, sqq. Cf. etiam SOPH. *Fr.* 98, et EURIP. *Alcest.* 105'.

19. HOM. *Il.* [14], 130. Latine: «Ne forsitan quis ad vulnus vulnus addat». Cf. etiam ZEN. 5, 69, Πῶς ἐπὶ πῶς, et Κακὸν ἐπὶ κακῷ. Itidem DIOG. 6, 71, ubi eadem fere habet.

20. EURIP. *Ion.* 971.

21. MARC. AUR. *Medit.* 7, 67.

22. SENECA *Epist.* 43.

23. HORAT. *Epist.* 1, 16, 40, 41. Cf. PLAUT. *Trin.* 406.

24. SENECA *loc. mem.*

25. PLAT. *Apol. Socr.* 41, c.

26. SENECA *loc. laud.*

Praeterea «in virtute divitiae», inquit Romanus orator.²⁷ In quibusdam enim neque pecuniae modus neque honoris, neque imperii, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum; quas nulla praeda unquam improbe parta minuit, sed auget potius atque inflammat. Numquid quem tanta pecuniae aut voluptatum cupiditate, quem tantis libidinibus inflammatum et furem videmus omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserimum dixeris? nonne tanto miserior, quanto sibi beator videtur? Divitiae autem neque caelum aperire neque a morte aliquem liberare unquam possunt. Valerius Flaccus²⁸: «Nulla caelum reparabile gaza». Et Horatius²⁹:

Cedes coemptis saltibus et domo
 Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
 Cedes, et exstructis in altum
 Divitis potietur heres.
 Divesne prisco natus ab Inacho,
 Nil interest, an pauper et infima
 De gente, sub divo moreris,
 Victima nil miserantis Orci.

Quin potius divitiae mortuum non sequuntur, neque ipsum aliquid juvant³⁰. Aliquando vero malorum fons atque causa esse solent: «Saepe solent auro multa subesse mala»³¹. Et hoc est quod, qui divitias accumulavit, il seipsos saepe fraudare videantur. Plautus³²:

Heu me miserum! misere perii!
 Male perditu', pessime ornatus, eo.
 Tantum gemiti et malae maestitiae hic dies mihi obtulit,
 Famem et pauperiem! perditissimus omnium ego sum in terra!
 Nam quid mi opus est vita, qui tantum perdidit auri,
 Quod custodivi sedulo? Egomet me fraudavi
 Animumque meum gentiumque meum!
 Nunc eo alii laetificantur, meo malo et damno! Pati nequeo!

27. CIC. *Parad.* 6, 2, Cf. etiam JUVEN. *Sat.* 8, 211, 214, ubi dicit pauperem, virtute praeditum principe improbo esse digniorem. Et VERG. *Aen.* 10, 468 sqq. Quod vero sola virtus homines nobilitat, asserunt OVID. *Ep. ex Pont.* 1, 9, 39-40, HORAT. *Od.* 3, 2, 17-20, SENEC. *Herc. Oct.* 1564, 1576-1581, MART. 5, 13, 1-4, cet.

28. 6, 562. Vide CIC. *De Fin.* 1, 16, 52; *Tusc.* 3, 2, 4 et 5, 6, 16.

29. *Od.* 2, 3, 17-24 Consule, quaeso, *Od.* 3, 1, 9-16 et *Epist.* 2, 2, 177-179, ubi eandem fere sententiam aliis verbis et quidem luculentissime promit. Sed etiam SENEC. *Octav.* 624-631, et MART. 4, 54, 7-16 idem versant argumentum, quos videas licet.

30. HORAT. *Od.* 2, 14, 21, 24, et *Epist.* 2, 2, 170-177. PROPERT. autem, 3, 5, 11, sqq.: «Haud ulla portabis opes Acherontis ad undas Nudus ab inferna, stulte, vehere rate». Ad etiam SILV. ITAL. 5, 260-267.

31. TIBULL. 1, 9, 18.

32. PLAUT. *Aulul.* 1, 673 sqq.

Haec ita cum sint, facile apparet beatam vitam non in opibus esse reponendam. Divitiarum enim cupiditas caecam mentem, ut bonum et honestum neglegat, efficere solet. Itaque dives qui fieri vult, et cito vult fieri, quamnam habet legum reverentiam? «Qui metus aut pudor est unquam properantis avari»³³? Unde illud Ausonii³⁴: «Quis dives? qui nihil cupit. Quis pauper? avarus». Nam, nonne improbi et avari, quoniam incertas et in casu positas possessiones habent et plus semper appetunt nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod haberet, esset satis, non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt? Quam ob rem canebat poeta Graecus³⁵:

Χρυσὲ πάτερ κολάκων ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱέ,

Καὶ τὸν ἔχειν σε φόβον καὶ μὴ σ' ἔχειν ὀδύνη.

O aurum pater adulatorum, doloris et curae fili,

Teque tenere timor, teque carere dolor.

Neque forma aliquid valet ad beatitudinem comparandam, nam «bonum fragile est»³⁶, et tempore fit minor «et spatio carpitur ipsa suo»³⁷, sicque «nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna perennis»³⁸. Et licet pulchritudo potius sit quam epistula quaedam commendaticia, τὸ κάλλος παντός ἐπιστολίου συστατικώτερος³⁹ tamen, quatenus pudicitiae saepe nocere solet, ipsamque superbia non raro comitatur — «Lis est cum forma magna pudicitiae»⁴⁰, et «Fastus inest pulchris sequiturque superbia formam»⁴¹ —, beatitudini aperte repugnat.

Denique, nec valetudo bona parere potest beatitudinem, ut per se liquet. An dubitas —inquit Cicero— quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus, adde etiam, si licet, pernecitatem et velocita-

33. JUVEN. *Sat.* 14, 176-178.

34. AUSON. *Sept. sap. sent.* 1, 3. CIC. *Parad.* 6, 3 ad fin.

35. *Anthol. Graec.*

36. OVID. *A. A.* 2, 113, sqq. Cf. etiam OVID. *Med. Fac.* 45-48.

37. ID. *ibid.* Consule quae eleganter aeque ac ingloriose canit PETRON. *Sat.* 109, et Senec. *Hipp.* 761-773.

38. PROPERT. 2, 28, 57, et SENEC. *Herc. Oet.* 380-390.

39. ARIST. Cf. Diog. Laert. *Arist.* 5, 18

40. OVID. *Her.* 16, 288. Legas etiam, si lubet, quae praeclare dicit JUVEN. *Sat.* 10, 289 sqq. Terentius vero ita habet. *Andr.* 1, 5, 51-53:

Hujus formam atque aetatem vides,

Nec clam te est, quam illi nunc utraeque res inutilis

Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.

Et SENEC. *Hipp.* 820-821:

Raris forma viris — saecula prospice —

Impunita fuit.

41. OVID. *Fast.* 1, 419.

tem, da divitias, honores, imperia, opes, gloriam —si fuerit is, qui haec habet, injustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitatisne eum miserum dicere». ⁴² Qualia igitur ista bona sunt, quae qui habeat, miserrimus esse possit?

SOLA VIRTUS VERAM PARIT BEATITUDINEM

In virtute autem satis est praesidii ad honeste beateque vivendum. ⁴³

Omnis illa antiqua philosophia sentiebat in una virtute esse positam beatam vitam. Hinc gignebatur fuga desidia voluptatumque contemptio, iustitia et aequitas deliciis et multis vitae commodis anteponebantur. Haec quidem fuit apud eos morum institutio et bene vivendi artis forma atque descriptio ⁴⁴. Unde illud: «Stude virtuti: numquam virtutis gloria magna perit» ⁴⁵.

Et profecto, summa boni quaenam est? Respondet Ausonius «Mens, quae sibi conscia recti» ⁴⁶.

Quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exēdunt, nullae libidines incitant, nullae futes laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus: quid est cur ii non beati sint? cum nihil appetant, nulla re egeant, nihil sibi deesse sentiant, nihil requirant? ⁴⁷ Et si haec virtute efficiuntur, quid est, cur ipsa virtus per se non efficiat beatos? Felix est, de Vergilii sententia, qui mortis metum et contemnenda quaeque contemnit atque superat: ⁴⁸

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari!

El Juvenalis ⁴⁹:

Paullatim vitia atque errores exuit omnes.

Non igitur, cum perturbationes animi miseriam efficiant cumque consilio et ratione pugnent, ea bona dicenda nec habenda sunt, quibus abundantem licet esse miserrimum, sed quoniam sedationes animi vitam beatam efficiunt, honestate una eam contineri necesse est ⁵⁰. Ut enim stultitia, etsi adepta est quod concupivit, numquam se tamen satis consecutam putat, sic sapientia

42. Cic. *Tusc.* 5, 25, 45 et III, 2, 4.

43. Id. *Tusc.* 5, 1, 1 et 5, 5, 12; *De Fin.* 1, 16, 61 et 5, 28, 83.

44. Id. *Acad.* 1, 6.

45. *Proverbium.*

46. *Sept. sap. sent.* 1. 1.

47. Cic. *Tusc.* 5, 8, 16 et 17; *Parad.* 6, 3.

48. VERG. *Georg.* 2, 490-492.

49. *Sat.* 13, 187-188.

50. Cic. *Tusc.* 5, 15, 43 et 5, 6, 17; *De Fin.* 1, 8, 59. Consule etiam *Tusc.* 5, 15, 44 et 5, 16, 48.

semper eo contenta est, quod adest, neque eam unquam sui paenitet⁵¹. Ex alia parte, omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam, efficiturque id, quod quaerimus, honestum⁵². Et tanta vis virtutis et probitatis est, ut eam, vel in iis, quos numquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus. Nam nihil est amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum; quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur, eritque maxime beatus⁵³. Quam ob rem pauper ipse, qui est virtute praeditus, dignior est, Juvenale auctore, principe improbo⁵⁴:

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neront;
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia nec serpens unus nec culeus unus?

Jam restat, ut quae pars optima sit in homine, in ea situm esse necesse sit illud, quod quaeris optimum. Quid est autem in homine sagaci et bona mente melius? Ejus bono fruendum est igitur, si beati esse volumus, bonum autem mentis est virtus; ergo virtute beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia quae pulchra, honesta, praeclara sunt, plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem plenisque gaudiis cum perspicuum sit vitam beatam existere, sequitur, ut ea existat ex honestate.⁵⁵

IN NOBIS INEST BEATITUDO

Praeclare Seneca: «Illum esse beatum, cui omne bonum in animo est... qui neminem videt quocum se commutatum velit»⁵⁶. Et alibi: «Ut vulgus ineptum magno labore, magnoque impendio remedia ab extremis Indis, aut Aethiopibus petunt, cum in hortis nobis nascatur, quo morbis mederi possimus, ita praesidia beatae vitae magno molimine foris quaerimus in imperiis, in opibus, in voluptatibus, cum in animo sit quod nos beatos faciat⁵⁷. In eadem versatur sententia Epictetus.⁵⁸ Is enim tantum beatus erit, ut diximus, qui virtute praeditus sit⁵⁹:

51. ID. *Tusc.* 5, 18, 54.

52. ID. *De Fin.* 2, 14, 46; *De Offic.* 1, 4, 14.

53. ID. *De Amic.* 8, 28 et 29; *De Nat. Deor.* 1, 44, 121 sqq.; *De Leg.* 1, 11, 32.

54. *Sat.* 8, 211-214.

55. CIC. *Tusc.* 5, 23, 67; *De Fin.* 3, 8, 28.

56. SENECA *Epist.* 43

57. ID.

58. *Orat.* 1, 29, 4.

59. HORAT. *Od.* 4, 9, 45-52. Simillima habet Juvenalis, cui felices sunt, qui aequo animo adversa ferunt: *Sat.* 13, 20-22, et 187-188. Tibullus autem existimat felicem illum esse qui alienis incommodis docetur:

«Vos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore — Alterius discas posse carere tuo».
cf. etiam HORAT. *Od.* 1, 13, 17-20. (3, 6, 43-44)

Non possidentem multa vocaberis
 Recte beatum; rectius occupat
 Nomen beati, qui deorum
 Muneribus sapienter uti
 Duramque callet pauperiem pati
 Pejusque leto flagitium timet:
 Non ille pro caris amicis
 Aut patria timidus perire.

Et certe virtutis amor jam in terris beatitudinem optimo cuique parat, nam ut verbis utar historici Graeci⁶⁰: Οἶει οὖν ἀπὸ πάντων τούτων τσσαύτην ἡδονὴν εἶναι ὅσην ἀπὸ τοῦ ἑαυτὸν τε ἡγεῖσθαι βελτίω γίνεσθαι καὶ φίλους ἀμείνους κτᾶσθαι.

Quam quidem virtutem, qui pro viribus ambiunt, sese nobilitant et caelum petere dicuntur:⁶¹

Numquam Stygias fertur ad umbras
 Inclita virtus. Vivite fortes;
 Vos Lethaeos saeva per amnes
 Nec fata trahent; sed cum summas
 Exiget horas consumpta dies.
 Iter ad superos gloria pandet.

Haec ethnici, haec Cicero praesertim atque stoici, quorum verba produxi. Scis ergo jam qua ratione possis esse beatus et fortuna uti secunda: nimirum, si virtutem pro viribus exerces, colis, sequeris. Hoc in primis facito, et omnia, quamvis prima fronte aliud tibi videatur, tibi peropportune cadent.

LEO M.^a SANSEGUNDO, O. S. B.

60. XENOPHONT. *Memorabilia*, 1, 6, 9.

61. SENEC. *Herc. Oet.* 1983-1988 *Lege* etiam locum illum LUCANI (9, 1-9), ubi eadem plus minus effatur poeta, et deinde MANIL. 1, 756-761.

COGITATIO IN ITINERE DULCIS

URBEMVETEREM quotiens via ferrata celeri curru praetervehor, cum moenia subrufo et praerupto saxo imposita procul conspexi atque salutavi, temporis praeteriti pueritiaeque illic a me actae recordatio subit nec facere possum quin cogitationibus quasi obruar.

Nam primo fit ut mecum considerem quam multos jam annos, natali solo relicto, in Insubria sive Langobardia habitem atque vivam; deinde, cum tam multos reppererim, vix mihi ipse credo in alia Italiae regione me natum esse et in Umbria, quam vocant, viridi et in ipsa Urbeveterem quondam fuisse: aedes illas puerum habitavisse, semitas illas clivumque trivisse, saltus eos puerili studio et rura perambulasse.

Illic pater matrem duxit, illic aetatis meae partem cum dulcibus fratribus degi. Erant non sordidae sed parvae aedes, antiquis et tofinis caementis lateribusque constructae; erat hortus tecto vicinus, ubi cerasus stabat, vitis apiana pampinis rarisque racemis adminicula intexebat atque vestiebat, arbor persica mala suo matura tempore tenebat. Umbraculum ramis et foliis consertum umbras per aestum ministrare solebat. Erat puteus, erant limites, rivuli, omnia denique quae puerulum allicere, juvare, delectare possent. Erat magna salviae late spirantis copia rorisque marini.

Memini carduum acutis spinis foliisque surgere et feniculum, mespilum, ficum dulces fundere fetus, perpetuoque et gallinas glocire et vicinae aedis sacrae aera sonare. At sub noctem vicos tenebris et gravi quasi veterno sepultos videri lateque silere, cum rariae electricae lanternulae lumen modicum mitterent lucidusque viae silice stratae pavimento orbis haereret, obscuram noctem circum discutiens.

In mentem venit avunculi quoque magni et materterae, qui me puerulum, deinde adolescentulum, persaepe benigno exceperunt hospitio dulcibusque donis cumulaverunt. Postquam veneram, ex arca placentam rore marino et cepula et oleo conditam, at ex cella antiqua —ab Etruscis olim defossam esse diceris— quo per gradus ex ipso tofo excavatos longoque usu tritos descendebatur, gelidum vinum depromere solebant, quod urceo ansato et roscido umore perfuso in pocula infunderent seduli. Nunc in parvo et solo sepulchro, ad auras in leni clivo posito, et illi quiescunt, sed paucis familiarium, quos aut usus aut necessitas alios alio dissipavit, muneribus donantur.

Urbem decorant complura et ea splendida aedificia, quae aut fides christianorum ac pietas aut civilis ratio fecit, quamquam antiquas Urbevetanorum

res reolenti vix altera ab altera sejungi posse videtur. In primis DOMUS DEI, ad custodiendum miraculum novum miraculum; stat pulchra et vere ποικίλη frons, elegans et musivo opere ornata, mira partium congruentia et coloribus insignis; at latera severa videntur surguntque nigro et albo marmore variata. Intus vero non minus splendidum spectaculum medium aedis spatium et alae et quina utrimque sacella in apsidis formam curvata praebent; longiusque progredientibus transversa aedes et duae illae aediculae, quarum in altera Sanctissimum Christi Corpus perpetuo custoditur, altera, quae nova vocatur, opere tectorio a Luca illo Cortonensi est ornata.

Quid Sancti Juvenalis, quid Sancti Laurentii de Arari, quid Sancti Andreae aedem non multis annis antequam Urbeveterem discederem relectam? Domus etiam privatae conspiciuntur complures et publicae, ex quibus mirum in modum in memoria mihi inhaeret PALATIUM POPULI, quod vocant. At omnium jucundissima subit recordatio TURRIS, quam DEL MORO appellant, sublime elatae, tempora cum aereo et... aërio sono oppidanis nuntiantis. MAURITIUS quoque, malleo quodam aes magnum pulsans, occurrit et magnus SANCTI PATRII PUTEUS, in quem nos pueros, subito timidos factos et quasi arcano quodam metu percussos, descendere memini, deinde rursus per lenem clivum humilibus iisque latis gradibus exstructum atque distinctum ascendentes ad auras et lucem properare, hoc contentos quod jocus lasciviaque praeberetur saliendique studium atque aemulatio. Interdum in HORTOS PUBLICOS, in extrema arce positos, conveniebatur, ut fictis pugnis inter nos pugnaremus aut cursu, magna contentione et gloriae studio, certaremus.

Museum contra nunquam vidi nec Etruscorum sepulcra. Nam postquam adolevi et litterarum studiis Romae, deinde Florentiae, postremo Mediolani sum eruditus, quae omnino fuissent Urbevetanorum antiquae res, didici et quanti aestimanda ea essent, quae puer non curabam, sero cognovi. Utriusque Gulinianae tumbae, quam vocant, parietes pictos non ante vidi quam Florentiae in domo Davanzati cum multis aliis antiquis rebus ut spectarentur propositi sunt. Hujusmodi contra puerorum mentem cogitationemque movere solebant: urbem inexpugnabilem quondam fuisse ut quae et loci natura et opere et custodum corona defenderetur; multos Romanos Pontifices erant qui duo et triginta fuisse contenderent— eo confugisse; Henricum sextum Romanorum imperatorem, Suebum natione, frustra obsidione clausisse oppidum. Complura autem de Urbevetanis hominibus et feminis aut facta aut dicta eaque saepe lepide vel facete, mater nos etiam nunc admonet. Quae utinam singula memoria retinuissem.

At recordanti et aetatem illam revocanti non minus dulces videntur parvae aedes, viae angustae et subobscurae, exiles turres, omnia antiqui et medii aevi oppidi imaginem exprimentia et publici fontes, quo mulieres fictiles situlas capite portantes veniebant ut lymphas haurirent et aliquod umbratilis vitae solacium inter se colloquendo quaerent, et loci agrum Urbevetani

viridisque regionis late arbitri; nam urbs hinc solam vallem collesque vinea obsitos, hinc Palliam flumen montesque Clusinos, hinc Arcem Ripesenam et Castrum prospicit Viscardum.

Cum omnis Italiae mediae quae vocatur, tum praesertim Umbriae oppida imaginem videntur repraesentare *illius humilis Italiae* quam Vergilius laudavit iis quidem laudibus ut antiquum Italicarum gentium vitae cultum moresque, nondum Romanorum armis domitarum, etiam Romanorum superbiae opponere voluisse videatur. Quod et Carducci sensit; nam cum incumberet in id carmen, quo *Clitumni fontem* illustravit, in epistula Lydiae missa, Spoleto data, ea loca dicit *pulcherrima esse Italiaeque antiquae plena; ibi etiam praeromanae* — quae vocatur — *Italiae aliquid intellegi posse*. Neque id tantummodo eo licet affirmare quod plurima illic Umbrorum et Etruscorum sunt. Sed longe plenior est illis urbibus similitudo cum media aetate; hac enim maxime floruerunt et humano cultu civilique et opibus et aedificiorum splendore, quae aut magnificentia principum aedificavit aut civium caritas patriae aut magna in Deum pietas. Urbs vetus certe paene immutatam speciem formamque servasse videtur, qua media aetate est conformata, eundem urbis circuitum, eosdem vicos, domus, turre, antiqui decoris opumque testes, quamquam situs et squalor pleraque occupavit.

Insubria contra sive Longobardia ceteraeque superioris Italiae regiones Europam mediam, quam vocant, affectant studiose, Helvetiam, Galliam, Germaniam... exterarumque gentium studia moresque imitari cupiunt. Quod fiat necesse est neque aspernor aut vitupero; sed antiquae Italiae desiderio liceat mihi flagrare, quasi quodam redeundi studio affectus.

Hic modestia, hic verecundia, hic parvo contenti plerique vivunt. Ea etiam falsa criminatio, Umbros aut desidiosos segnesque aut contemplandi tantum studio deditos in otio versari. Est hic quoque aliqua industria, sed in industria ut in avaritia, plerumque modus. Est diligentia, elegantia, munditia pulchrarumque rerum et liberalium artium studium quamvis modicas divitias parantium. Hic (si Interamnas exceperis) paucae officinae illae magnae sunt, quo mane immensa operarum multitudo venit ad laborem properantium, et alius pedibus, alius birota, alius bicyclula aut etiam raeda motoria vehitur, sed opifices sunt, qui mira fingendi peritia et facultate praediti singuli operi incumbunt: fictiles et pictae amphorae currente rota exeunt aut vasa aenea aut ferrea supellex excuditur. Etiam in Sabinorum, Marsorum, Vestinorum, Picenorum agro antiquarum gentium Italicarum ingenium ac mores adhuc exstant, ita ut credas aut ab antiquis ad nostra tempora duravisse aut revivisse post imperium Romanorum deletum!

Mediolanienses certe sunt calidiores atque acriores, nimiaque sui fiducia vel aestimatione et strenua assiduaque avaritia plerique exercentur. Romanorum administrandarum rerum sollertiam propriam ad Cisalpinos, ad Mediolanenses aliqua ex parte olim cessisse haud absurdum dici putaverim; quamquam supervenerunt Gothi, Langobardi, Franci... Numquam consistunt, numquam quiescunt, ne in ipsis quidem oblectamentis voluptatibusque, ne in edendo quidem aut in bibendo —nam et in cuppediis strenui sunt— animos remittunt. Ad officinam, ad curiam, aut domum, in theatrum, in stadium, ut juvenes campestri indutos calcibus follem, aut crus alterius, certatim petentes spectent atque clamoribus secudent, cum festinatione veniunt: eunt, discedunt, currunt, properant quasi quadam ultrici furia exagitati. Quo fit ut plura faciant quam cogitant, plura agant quam speculantur, raro denique artes liberales, nulla lucri faciendi sollicitudine, colant. Quare Horatium tertium sermonum librum scripturum fuisse puto, si Mediolani fuisset. In ipsa pietate, in ipso Deo colendo seduli et impigri quidem sunt aequae et in ceteris rebus domusque Dei et multitudine cultorum celebratur et candelabris cereisque et argento renidet et auro. Sed mystico illo Dei desiderio pauci videntur flagrare.

Equidem Mediolanenses non contemno, neque cupio vituperare ut Umbros laudem, sed quid intersit inter hos et illos considerare. Nam cum multos jam annos in Langobardiae oppidis verser, admiratione magna teneo eorum, qui, cum constantis honestique propositi essent viri, tantum alacritatis, constantiae, pertinaciae, denique virtutis habuerunt ut illa tam magna aedificia molesque extruerent aut telae vestique texendae aut metallis liquefaciendis et fingendis aut calceis, calceolis, caligis conficiendis aut machinis omnis generis, electricis, pneumaticis, hydraulicis fabricandis, aut birotis et raedis motoris, electricis, et ad trahendum aptis. Saepe, cum deambularem, paulisper constitui ut procul dispicerem: ignem vidi in fornacibus fulgere atque anhelare, chalybem in labris liquefactum candescere, homines autem alios ferrum exercere et tenaci forcipe versare, alios ferreas rotas, crates, radios instare, alios fistulas, tubos, clavos fingere certatimque polire, alios laminas aeneas vel durissimo chalybe clavis cochleisque compactas coartare; cunctos operi incumbere suo quemque munere atque fervere.

Multitudini igitur operarum opus et ars et victus praebetur, urbs opibus floret, omnibus rebus ad vitam cultumque necessariis abundat.

Sunt etiam liberales Mediolanenses et libenter beneficia conferunt in familiares benigneque faciunt iis qui casibus calamitatibusque afflicti in aerumnis et in egestate versantur, aut pecunia aut opera. Plurimi christianam miserorumque misericordiam caritatemque libenter consociati exercent eadem virtute qua res civiles tractant. Tributa et vectigalia modeste singuli, cuncti copiose pendunt.

At neque Mediolanum neque Comum neque Cremona virum Sancti Francisci Assisiatis similem edidit. Num edere poterat? Umbria vero et Benedictum illum Nursinum et Sanctum Franciscum, quem modo commemoravi, ejusque socios sororemque Agnetem et Claram virginem Assisiatem, nec non et Bonaventuram Bagnoregiensem, qui, Latinus an Umber anceps, Sanctum Franciscum secutus est, Sanctam Margaritam, in arce Porena natam, Angelam Fulginiatem, Margaritam Cortonensem, virgines verecundissimas aut mulieres castissimas, quae aut in solitudine aut in coenobio viventes contemplandae Dei beatitudini, pietati et caritati colendae se dederunt nec parum contulerunt ad mores corrigendos propriamque Christianorum vivendi rationem aequalibus et posteritati proponendam.

Nec tamen Umbria sanctos viros solum aut pictores aut opifices tulit sed et duces cum multos alios tum Biordum Michelotti Perusinum, Braccium Montonensem, Nicolaum Piccininum, Erasmum Narniensem, qui *il Gattamelata* est cognominatus, Bartholomaeum Alvianensem.

Equidem non infitior, qui in Langobardia ceterisque superioris Italiae in regionibus aut natus sit aut esse consueverit, eum primo obstupefieri atque mirari cum Umbriae oppida, vicos, aedes, hominum mores habitusque respexerit, brevi etiam Mediolaniensis industriae ac sollertiae desiderio capi et omnia quae in Umbria sunt, vetera, obsoleta, squalida libenter judicare: intolerabilem esse *tuscarum urbium sepulcralem somnum* optimoque jure, ut Tusciae, ita Umbriae oppida silentio veteraque sepulta dici posse.

Attamen is erraverit qui minus beate hic vivi posse putaverit, quod non omnia aequae recentia, magna, sumptuosa ac Mediolani sint. Nam quid prosunt ad beate vivendum magnae divitiae, quid ludorum, voluptatum copia, quid moles sublime exstructae aut aedificia caelum quasi scalpentia, quid illae inter se continuatae officinae ferrariae, aerariae, lanariae, unde bis in die operarum turba egreditur

it nigrum campis agmen

aut altae basilicae et curiae, quae, ut

ingentem foribus domus alta superbis

mane salutantum totis vomit aedibus undam,

scribarum, ministrorum, apparitorum multitudinem eructant ut paulo post hianti rursus ore absorbeant? Nam si hujus modi res beatam facerent vitam, nullus jam esset in Langobardia homo maestus vel subtristis! Quin ipsa saeculi quae putantur commoda et inventa saepe incommodum afferunt. Mane ut ascendas in publicum curriculum

luctandum in turba et facienda injuria tardis

nec minus tardis quam festinantibus et omne quod obstat pulsantibus; pedibus euntem, quem vitae suae non taedeat, raedas motorias vitare aut ululatum cum strepitu edentes opus est tolerare; omnia cum festinatione, cum

corporis et animi contentione, cum metu aestuque agenda. Nocte radiophoniam, clamitationes, saltationes vicinorum nullo pudore, lymphatorum ritu, strepentium execrari, non interrumpere poteris.

Huc accedit quod apud Mediolanienses —ut apud universas gentes quidem, sed hic quam frequentissime— illud Horati experiri quivis potest

quia tanti quantum habeas sis.

Neapolitani et virum facundum magni facere solere dicuntur aut cantandi expertum aut dicacem aut doctum, quamvis pauperem; Mediolanienses contra nec doctrinam nec litteras nec ipsam integritatem vitae nisi cum bonis fortunisque conjunctam videntur aliquid putare posse iidemque liberalia studia tam constanter vitant quam divitias male partas fugiunt.

Sed ea quae possunt tranquillitatem animi et beatitudinem vitae efficere, timor Dei, fides, integra vita moresque, modicus idemque honestus victus ...etiam in paupere oppido et in tenui re inveniri possunt ut

saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

At nescio an non eadem apud Umbros studia, iidem mores, eadem vitae ratio condicioque nunc vigeat quam puer cognovi et nunc cogito. Nam cum omnes omniaque his annis, tam atroci bello praesertim et seditione semel atque iterum gesta, raptim mutari convertique videantur, etiam Urbevetanos nova studia hausisse minime mirum est.

Quare vide ne irrita ista quamvis dulcis cogitatio sit aut fallax. Nec antiquum illud tempus denique, quod desideras, restitui aut renovari potest nec est fas quemquam

aevom remeare peractum.

Hic me longo itinere et vigilia fessum lenis cepit somnus neque antea experrectus sum quam cursu represso vecturam frenari sensi et eos, qui una mecum vehebantur, surgere ut Romam, Romam laetis cuncti vocibus salutarerent.

ALBERTUS ALBERTINI

Qui hunc libellum scripsit, cum anno MDCCCLV in Certamen Capitolinum vi petitor descendisset, a Quinqueviris contentionis arbitris dignus habitus est qui publica ornaretur laude.

DE CAESARE

Cajus Julius Caesar abhinc duo milia annorum Romae mortuus est; quam ob rem ad illius praestantissimi viri memoriam anno p. Chr. n. 1956 celebrandam pauca verba hoc loco facere in animo habemus.

Cajus Julius Caesar anno a. Chr. n. 100 die 13 mensis Julii sub stella scorpionis Romae natus est. Anno 87 flamen Dialis (= sacerdos Jovis) factus est; ejus pater anno 85 e vita cessit; mater autem Aurelia puerum semper bene instituere et erudire curavit, operam ad id adhibens Gniphonis docti rhetoris Gallici. Anno 84 filiam Cinnae Caesar in matrimonium duxit. Sulla vero illum, cum Mario cognatum, anno 82 vehementer persecutus, postremo a poenis absolvit; interea fugitivus adulescens in Asia Minore ab anno 81 ad annum 78 stipendia fecit. Sulla tandem mortuo (78), Caesar confestim Romam redux, orator in foro Romano exstitit. Anno 76 ad insulam Rhodum se contulit, ut apud notissimum illum rhetorem Graecum Molonem eloquentiae studium prosequeretur ac perficeret; sed a piratis antea captus et quadraginta dies in nave ludibundus custoditus, pecunia demum soluta liberatus, eosdem piratas crucibus affixit. Quo facto Molonem Rhodium audire potuit. Ab anno 68 magistratibus fungebatur: primo quaestor (68) fuit, deinde aedilis curulis (65) a Catilina stabat; postea praetor (62) et propraeor (61-60) Hispaniam administravit; anno 60 Caesar cum Crasso et Pompejo foedus trium virorum iniit. Anno 59 consul creatus est et a. 58 in Galliam abiit, ut illam regionem septentrionalem in Romanorum dicionem redigeret, id quod bello diu gerendo ei contigit; ibi ab anno 58 ad 50 bellavit et singulis annis commentarios de rebus in Gallia gestis ad senatum Romanum misit usque ad annum 52, quo septem libros de bello Gallico composuit. Anno 56 Lucae foedus trium virorum renovavit, ut ipse majore auctoritate in bello gerendo frueretur, quo finito (50) res publica Romana factionum discordia labefacta est; unde bellum civile (49) exarsit multis terroribus damnisque plenum; jam diversis in terris Caesar contra Romanorum civium exercitus pugnabat; in Aegypto ad Alexandriam 48-47, contra Pharnacem, regem Ponti, ad Zelam (mense Augusto 47) ubi proelio quattuor horarum confecto Caesar brevissime victoriam tribus verbis «veni, vidi, vici» nuntiavit; in Africa ad Thapsum (46) Pompejanos et Jubam devicit mense Augusto 46 quadruplicem triumphum ex Gallia, Aegypto, Ponto, Africa Romae egit; ad Mundam in Hispania (45) feliciter pugnavit.

Ab anno 45 Romae summa potestate a senatu institutus tamquam imperator totius imperii ut dictator perpetuus regnavit, qua dignitate insueta irati

multi optimates ad dictatorem tollendum inibant. Caesar optime de re publica Romana augenda meritis multis tamen multorum senatorum periculis circumdatus denique mortem ibi subiit, ubi minime opinabatur; neque enim in violenta pugna temerarius cecidit, sed in tranquilla sede auctoritatis imperatoriae et in ipsa curia, in umbilico mundi, idem imperator, qui tam saepe vim contra hostes adversariosque in tot expeditionibus et controversiis adhibuerat, mucronibus nobilium subito percussus hanc ultimam vitae vocem effatus «ista quidem vis est» Idibus Martiis anni 44, annos 56 natus, animam efflavit.

De Caesaris moribus, virtutibus, vitiis aliquot hic verba adjungamus. Caesar vir pulcher videbatur esse, habebatque proceram staturam corporis nigrisque oculis micantibus erat instructus; e vultu benevolentia et hilaritas splendebat; valde pertinax ei vis membrorum nervorumque erat propria; dolores autem capitis et morbus regius eum saepius vexabant; permagna intellectus indole excellebat, ejusque facultas ratiocinandi erat admirabilis; arte etiam dicendi tantopere eminebat ut post Ciceronem Romae orator maximus haberetur; sed magis rebus politicis et bellicis oblectabatur ratus his in rebus se nulli secundum relinqui; ita evenit ut multos aemulos ad simultatem excitaret, qui ei obsisterent semperque inviderent, quos fortissime persequebatur; etenim incredibili quadam cupiditate dominandi erat affectus tantaque ambitione impulsus, ut in quovis magistratu primus vellet esse diceretque aliquando se in vico Alpium primum, quam Romae secundum esse malle. Caesaris familia cum Mario, saevo illo imperatore, cognatione quadam copulata erat, ut Marius esset Caesaris avunculus; qua de causa Marius exemplo Caesari esse poterat ut summis viribus rei publicae Romanae non rebus privatis consuleret.

Caesar quidem majore litterarum eruditione et prudentia instructus homines mitius Mario tractabat; voluntas Caesaris firmissima et durissima erat; summa alacritate omnia moliebatur omnibusque modis ad finem cujuslibet rei operabatur; in primis rei militaris peritissimus erat, idcirco maximus Romanorum imperator omnium temporum est habitus; Caesariana celeritas instar fulminis hostibus immanem terrorem inciebat; ipse permagna disciplina in castris militum utebatur; hac voce usus «Venus victrix» omne proelium committebat; victoria parta Caesar adversariis plus quam licebat clementiam tribuebat; modo in Gallos crudeliter consuluit. Quemadmodum optimus orator fuit, qui orationes non tam breves, sed perquam lucidas purasque habebat, ita scriptor quoque rerum in bellis gestarum clarissimus evasit, qui septem libros de «bello Gallico» et tria volumina de «bello civili» composuit, quibus immortalis auctor juventuti Latinitati operam danti factus est.

Calendarium (= fastos) in novam, justam, utilem formam, Sosigene mathematico Alexandrino auctore, redigendum curavit, quod Julianum

vocatur et plus quam mille annos in omnium fere usu fuit. Philosophorum consilio aliorumque virorum doctorum consuetudine fruebatur in convivia advocatorum, ex quorum doctrinis, multum fructum ad rem quoque publicam bene regendam excipiebat; hoc modo summa cum laude populo Romano providebat; ceteroquin hujus viri principis integritas morum a scriptoribus non raro vituperatur; at in familia privata severam disciplinam postulabat. Ut Sulla cognomine «Felix», Pompejus «Magnus», Crassus «Dives» honorabatur, ita Caesar «Clemens» cupiebat cognominari. Illis tam turbulentis temporibus Caesar et Cicero fuerunt duo clarissimi consules Romani, quibus gloria litterarum et rei publicae Romana in perpetuum est fundata; propterea cum Caesarem laudamus uno tenore Ciceronem quoque praedicamus; est enim tamquam duplex statua vel Herma biceps qua illa tam diversa ingenia junguntur; Caesaris imago perennis simulacro Ciceronis perpetuo illustratur et gloriosa redditur; uterque Romae antiquam ingenuamque mentem, singularissimum antiquitatis fructum, formavit.

AEMILIUS [EMIL] ORTH

STATIO - FERRIVIA

Superiore anno ab amico Josepho Holzer admonitus ut pauca emendarem verba, quae in PALAESTRA LATINA (1) et in opusculo — cui index NOVA ET VETERA (2) — usurpaveram, plane libenterque acquievi, cum et ego alia mutanda et perpolienda esse compertum haberem.

Neque id mirum sane: qui enim de rebus nostrae hujus aetatis quicquam scriptitare voluerit, in artam implicatamque quaestionem se incidisse sentiet, non solum quia lexica desunt ad ea, quae mente conceperit, latine reddenda, sed etiam quia interdum nondum a scriptoribus inventa et apte conformata sunt verba: quo difficile ut ab iis, quibuscum colloquatur, intellegi possit

Nuper vero cum diligentissimus in litteris colendis socius a me exquisierit num voces, quas in libello NOVA ET VETERA aliquot abhinc annis evulgaveram usurpare ipse posset — cum de «itinere ferroviario» conficiendo verba latine faceret —, nam multa a claris viris vocabula proponebantur, respondi rem esse accuratius considerandam; mecumque re excogitata et aliorum scriptorum sententiis expensis, tandem quibusdam locis emendatis, denuo illam «explicationem» typis edendam constitui: cui et notulas adjeci ut socio et amico morem gererem, qui curiosius diligentiusque percontatus erat rationes quibus innixus inter varias sententias unam tenerem.

1. Iter per Hispaniam confeci. Priusquam viae me commisi, ut traminum exeuntium horam praenoscerem, horarum indicem¹⁵ emi. Cum tramen commodius esse intellegerem, quod Burdigala hora septima pomeridiana cum duobus et triginta minutis egreditur ut in urbem Irun ad noctis horam primam perveniat, viatica paravi atque insequenti die ad stationem me contuli.

1. **traminum**: Vox *tren* (*train* - *treno*) varie ab scriptoribus nostrae aetatis latine redditur: «tractus, us», (cfr. DUMAINE, *Conversations latines*, p. 275); «tractus ferroviarius» (*Societas Latina*, VII (1939), p. 50 et 1952, p. 3); «ferrea traha» (ZENONI, BIONE, *Vocabulario della lingua latina*, s. v.; COGNASSO, *Il latino per l'uso moderno*); «curruum agmen» (COGNASSO; BACCI, *Lexicon*, s. v. *ferrovia*); «agmen» (SLEUMER, *Deutsch - Kirchenlateinisches Wörterbuch*, 1946,

s. v. *Zug*); «currus ferriviae» (COGNASSO); «hamaxosticus» (COGNASSO; BACCI; EGGER, *Latinitas*, III (1955), p. 111). P. Joveus (cfr. *Candidatus Latinus*, II (1929), p. 25 et saepius in PALAESTRA LATINA) proposuit «trahaculum»; postea vero (PALAESTRA L., VI (1936), p. 91) «tramen» adhibuit; «trahaculum» Avenario (PALAESTRA L. n. 122, p. 183) minus placet. Et quamquam rationes quae ab ipso afferuntur animum non omnino cogunt — cum contra in

(1) P. L. XVII (1947) n. 107, p. 370 - n. 108, p. 368.

(2) NOVA ET VETERA, Gráficas Claret, Barcelona, 1950.

2. Cum ad magnum exitus vestibulum ingressus sum — post senem sacerdotem ², qui manu bulgam ³ deferebat— magna vectorum ¹ turba advenerat. Cum telegramma ⁵ mittere vellem, a quodam inspectore ⁶ sedem telegraphii ⁴ quaesivi.

3. Priusquam ad spectantium vestibulum ⁷ veni, itionis ac reditionis tesseram emi ⁹.

voce «tramen» sint quae minus rem ipsam significant, ut luculenter philosophatur P. Ildephonsus González (PALAESTRA L. (1950) 120, p. 146-147)—, tamen ut vocem captu facillimam habeamus ad rem denotandam, quam etiam peritorum usus comprobavit, «tramen» adhibeamus oportet, quin alia verba superius allata prorsus rejiciamus.

stationem: Cum vox rei omnino quadret, ab omnibus admittitur; P. Avenarius profert etiam «aedes stationales» (PALAESTRA LATINA, XXIV (1954), p. 175).

2 **vestibulum** accipio; «oecum» vero alii significare videtur. «Vestibulum» fuit enim «locus ante aedium januam, inter aedes ipsas et viam relictus, eum in usum, ut qui aedium dominum salutatum venissent, neque in via starent neque in ipsius essent aedibus» (FORCELLINI, s. v.) quem sensum facile in «vestibulum stationis «ferriviariae» declinare possumus. «Oecum» adhibet P. Joveus (PALAESTRA L., VI, (1936), p. 91).

bulgam: cum «vidulo» commutavi, vide infra sub 6.

vectorum: In Lexicis tere «viator» proponitur (cfr. COGNASSO, BACCI, s. v. *ferrovia*; «viatorum currus» (BIONE). — «Même double sens dans *vector* «qui vehitur» «passager» (sens classique) et «celui qui transporte» (poet. et postclass.) (ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol. de la L. L.*, s. v.). Cfr. «Summi gubernatores... a *vectoribus* admoneri solent» (Cic. *Phil.*, 7, 8, 27).

telegramma: quod omnes fere admittunt; cfr. «Mihi semper quidam in officio collegae nimis diligens visus est, qui ubi in suis epistulis nuntiat per *telegraphum* aliquid comperitum esse, de «telegraphico nuntio» scribere


mavult, quam ut respondeat *telegrammate* comperitum esse hoc vel illud» (AVENARIUS, *Pal. Lat.* n. 113, p. 401)

telegramma mittere: verbum «expedire» deleatur, nam nova significatione adhibetur, qua apud classicos et posteriores scriptores caret; neque tamen alia desunt verba ut eadem significemus. De verbo «telegraphare» adhuc lis est (cfr. PALAESTRA L., n. 126, p. 30-31; BACCI, *Varia Latinitatis scripta*, I, 14; LURZ, *Societas Latina*, VIII (1940), p. 2, et a 1952, p. 20).

inspectore: vocem retinendam censeo cum deinde alii sint nominandi viri qui generalibus nominibus, ut sunt «curator, procurator, praefectus», appellabuntur.

sedem telegraphii: (cfr. BACCI et alios); sed «officinam telegraphicam» simul admittamus, quae tamen ad «officinam principem» in urbe forsitan melius aptetur. Adjectivum «telegrapharius» pariter innovemus, quo res et viros notabimus speciatim rei telegraphicae addictos: «curator, minister, refector... telegrapharius»; et quare pro «telegraphii administratore» (*telegrafista*, cfr. BACCI), non educimus «telegrapharius, telegrapharia»? Nonne habemus voces «argentarius, coriarius, carbonarius, aeriarius, cellarius, classiarius, arenarius, aquarius»... quibus ita appellantur qui alicui rei vel officio operam dant? cfr. discrimen inter suffixum *-icus* et *-arius* apud BARRAULT, *Traité des synonymes lat.*, p. 198-199, ubi et alia afferuntur verba similia. — Pro «telegraphario» quod proponimus, Lurz (*Societas Latina*, 1952, p. 20), habet «telegraphista», quod minus placet.

3. **itionis ac reditionis tesseram** [*biliete de ida y vuelta*]; «itio» et «reditio» legitimus apud Ciceronem; Bacchi habet: «tessera viatoria



4. Parum remoratus sum, cum pauci in tesseraria⁸ essent. Miles¹⁰, qui comeatum acceperat, ordine suo comiter mihi cessit atque ita occasionem rapui quaedam percontandi ab stationis rectore¹³, qui cum securitatis procuratore¹² et custode civili¹¹, munus suum obeunte, colloquebatur.

(viaria) ad eundum et redeundum valens. Cfr. Jové-Fanlo (*Candidatus Latinus*, II (1929), p. 26). «Commodabitur etiam nobis tessera reditiois?» H. Jacobelli habet: «chartulae venales ad viam» [biglietti da viaggio], (DE-VECCHI, cfr. *In campo Latinitatis novi flores*, Romae, 1914)

4. **tesseraria** [taquilla - gúchet]: sic Jové-Fanlo (*Candidatus Latinus*, ibid): «Vide'n tesserariam», ¿Ves esa taquilla?: alibi (PALAESTRA L., VI (1936), p. 91) dixit «tesserariam fenestellam». «Tesserarum locus, r. forulus» aptae quoque locutiones videntur ex ipsa rei similitudine, cum in statione aliquot sint quasi «loculi seu foruli»; neque est difficultas in adhibendo numero singulari, quamquam apud veteres hae voces fere plurali numero efferebantur. Dumaine (*Conversations lat.*, p. 276)

habet «portulam», pro qua alii «fortulam» substituant. Bacci habet «tesserae viariae (viatoriae) diribitorium».

securitatis procuratore [comisario de seguridad]: in eleganti et puro sermone «procuratorem» dices, in vulgari vero usu «inspectorem» vel «commissarium» appellare potes. Sunt enim multi qui praesunt, eosque omnes generaliore vocare debes nomine, ex auctorum sententia, «legatos, procuratores, curatores, praefectos», quos tamen saepius distinguere opus est.

custode civili [guardia civil]. «custodem» dicamus, cujus est «explorare et observare», non vero «vigilem» qui nocturno tantum tempore vigilat; cui «civilem» addimus ut speciem custodum significemus Joveus dixerat «custodem urbanum», qui tamen apud nos ad

5. Postquam acta diurna in bibliotheca¹⁴ emi, sarcinam,¹⁷ quam gerulus¹⁶ in plostello¹⁹ asportaverat, appendere atque persignare jussi; staterae bascularis²¹ curator²² mihi significavit arcam triginta quinque chilogramma pendere, et ideo quinque chilogramma praeponderabat; quo in sarcinarum loculo²³ supplementum solvendum mihi fuit.

6. Cum aliquantum maturassem, viatores in statione deambulantes exspectandi locum habui. Alii in reconditorio²⁵ parvas sarcinas deponebant aut ex illo resumebant; alii horarium²⁶ consulebant. Viatores advenientes ad exitum³² festinantes accedebant, vidulos²⁴ manu gestantes. Quidam in accipiendis sarcinis²⁷ remorabantur atque syngropham²⁹ vectoriam, ut arcas, capas²⁸, qualos³⁰ acciperent, porrigebant.

aliam custodum speciem pertinet. Vallauri-Bacci habent «milites a publica tutela, vel a publica securitate», qui tamen «milites» proprie non sunt, sed aliis reguntur institutis praeceptisque. Fornés, S. J. (*Ejercicios latinos de vocabulario y fraseología*, Barcelona, 1942, p. 28) habet etiam: «custos civills».

5. **acta diurna** [*periódico*]: «diurna, folium diarium, diarium, ephemeris» (cfr. HOLZER, PALAESTRA L., n. 137, p. 3). In lexico Bacciano (s. v. *giornale*) habes «commentarii diurni», sed «commentarium» Holzer (cfr. PALAESTRA L., ibid. et n. 138, p. 33) ad «recensiones» (*revistas, revues*) reservare videtur.

gerulus: qui et «bajulus», cfr. lexica.

persignare: «obsignare, notam vel signum apponere» (FORCELLINI); verbum «expedire» in hunc sensum (*facturar, enregistrar*) Jové Fanlo (*Candidatus L.*, II (1929), p. 26 et PALAESTRA L., VI (1936), p. 91 [*expeditor*]) deflectunt; et fortasse multis probabitur

staterae bascularis [*báscula*]: «bascularem» retinui, quia haud facile hujusmodi «stateram» luculentioribus verbis significabimus, quae omnes expedite percipiant

chilogramma: Scribendum esset «chilogrammum» ut ex his quae Dr. G. LURZ in recensione seu commentario *Per lo studio e l'uso del latino IV* (1942), 82-83) disputavit, liquet; nam prima compositi pars est χίλιον = «chilo-», altera vero a Graecis nostrae aetatis sumitur qui non γράμμα, sed γράμμον, χιλιόγραμμα non

χιλιόγραμμα dicunt (cfr. *Societas Latina*, XVII (1952), p. 12; COGNASSO habet etiam «chilogrammum»; BINI: «gramma, atis»; BAZZARINI-BELLINI (BACCI) «chilogramma, atis». Forma tamen «chilogrammum» pro «chilogrammo» ex communi usu et similitudine cum aliis linguis fortasse in omnium usu Latino veniet, cui cedere par erit

sarcinarum loculo [*taquilla de equipajes*]; vel «forulo», cfr. quae supra sub 4 diximus.

6 **reconditorio** [*consigna*]. quae vox, a Sancto Isidoro Hispalensi (*Etymcl.* 15, 58) allata, huic rei convenire apte videtur.

vidulos [*maetas*]: «vidulus est sacculus ex corio, quo pecunia vel aliud quippiam itineris causa reponitur (FORCELLINI s. v.). Major est quam «bulga» [*maletn*], nam Plautus in vidulo «inesse cistellam» (*Rud.* 4, 4, 86) et «marsupium obsignatum» (*Men.* 5, 7, 47) dicit; cfr. RICH s. v. Alit: «cista itineraria» (*Societas Latina; Juventus*, 24, 1, 2; DUMAINE, *Conversations Lat.* p. 276); «cista viatica» (*Juventus*, 21, 2, 27); «bulga» (PALAESTRA L., n. 36, p. 164), quam tamen ad significandum *maletn*, *boisa de mano* servandam putamus; «interpretatur enim *bulga* folliculum, hoc est sacculum [*scorteum*] ad brachium pendens..., cujusmodi est qui a viatoribus gestari solet» (NONIUS, cfr. FORCELLINI et RICH s. v.).

syngropham vectoriam [*talón*]: «syngropha (Plautus habet «syngrophus», cfr. sensum vocis in lexico Forcelliniano) vectoria»: hoc

7. Portitores seduli pervestigabant onera, si quid declarandum esset.

8. Non nulli vectores ad stationis cauponam³⁴ se conferebant ubi cibifer³⁵ celeriter deserviebat. Festinatione autem opus erat, nam tramen³⁶ citissimum parum temporis in statione consistebat.

9. Deinde ad exitus crepidinem transii atque, ne in itinere tramen mutare mihi opus esset, currum directum³⁷ quaesivi. Currum cum ambulatiuncula ascendi, qui loculamento³⁸ tabacum sugentibus instructus erat.

10. Postquam gradum⁴⁰ conscendi, portulam³⁹ reseravi, velamen⁴¹ levavi, reulas in reticulo⁴³ deposui, tandem in sedili⁴² consedi. Cum lampadarii lampades accendentem vidi, in mentem mihi venit noctem in curru esse agendam, atque ministrum, qui pulvinaria mutuabatur, arcessivi ut unum ab eo postularem.

11. Perforator ad tesseras comprobandas venit; ab eo, cur non progrederemur cum hora esset, quaesivi. Ipse vero respondit traminiis rectorem⁴⁶ in birotis collocandis occupatum esse in curru sarcinario⁴⁷. Praeterea nondum omnes commutati erant caloriferi⁴⁸.

est, qua merces in tramine «vehantur»; syngrapha quoque «expeditoria» dici poterit, si verbum «expedire» voci *facturar*, ut supra diximus, respondeat.

qualos [*cestos*]: aptius quam «quasillos».

7. **portitores**: sic latine interpretantur lexica *encargados del fielato* (*octrot, dogana*), cfr. BIONE, BACCI, COGNASSO.

onera: vel «sarcinae», melius, ut videtur, quam «fasces»; cfr. tamen *Candidatus Lat.*, II (1929), 26.

8. **cibifer** [*camarero, garçon*]: nova vox, quam retinendam censeo; altae enim voces generaliores sunt.

tramen citissimum: cfr. BACCI s. v. *ferrovia*, EGGER, *Latinitas*, III (1955), p. 113. P. Joveus (*PALAESTRA L.*, VI (1936), p. 91) habet «expressum»; cum variae sint traminiis species, ut apte dignoscantur, «expressum» aequo honore habendum censeo.

9. **exitus crepidinem**: [*andén de salida-quai de départ*]: sic in lexicis. P. Joveus pri-

mum (*Candidatus L.*, II, (1927), p. 25), «prostaculum» adhibuit, quia ibi ad viam ferream viatores «prostant»; deinde (*PALAESTRA L.*, n. 50, p. 91) «crepidinem» usurpat (cfr. LURZ, *Societas Latina*, 1952, p. 3, s. v. *Bahn*).

ambulatiuncula [*corredor-couloir*]: melius quam «ambulacrum», ut videtur.

tabacum sugentibus [*fumadores - fumers*]: «tabacum sugere, tabacum haurire», cfr. BACCI et alios; «tabacum fumare» durum quid sonat et a Latinitate alienum, nam verbum «fumare» apud classicos scriptores modo intransitivo fere adhibetur.

11. **perforator** [*interventor*]: sic illum nominavit virum P. Jové (*PALAESTRA L.*, VI, 1936, p. 91) qui in itinere currus invisit et a vectortibus tesseras requirit, quas inspicit, perforat redditque perforatas; cumque in eo munere perfungendo id in primis quod sese offert et in cernendi sensum cadit est actus *invisendi* tesseras easque *perforandi*, vir, qui eo fungitur munere, «inspector» vel «perforator» vocari posse videtur.

caloriferi: «lagoena caldaria, thermolagoena» proponitur in *Societate Latina*, V, 12,

12. Neque tamen exeundi intercapedinem facturi eramus, nam fornacator⁵⁰ e carbonario⁴⁹ carbonem subducebat ad excitandum vaporitrahæ⁵⁴ ignem, et machinator⁵¹ signum subpraefecti⁵², qui in crepidine⁵³ erat, tantum exspectabat.

13. Vaporitrahæ caldaria⁴⁶ surdum mugiebat sonum; fumarium⁵⁵ fumi vortices cum vapore⁶⁰ immixtos evomebat. Stridens sibilus personuit et emboli⁵⁸ impulsivi sunt ac gravis machinae rotæ versari coeptæ sunt.

14. Traminis velocitas supra rotalia⁶⁴ delabentis acceleravit; crepidines⁶⁵ reliquimus; foricas et agmen curruum in alio curriculo consistentium praeterivimus: qui erant currus dormitorii⁶⁷, cenatorii⁶⁸, tabellarii⁶⁹.

sed nulla probabilis apparet ratio cur a «calorifero» (tubo) vel «calorifico» recedamus. «Calorificum», a Gellio (17, 8) adhibetur: «Oleum calorificum est»; neque tamen respuendum censeo «caloriferum», quamquam in lexicis non reperitur; magnam enim vocum copiam habemus in -fer exeuntium, ut sunt «aquilifer, lucifer, vaporifer, crucifer, legifer, velifer, vexillifer, armifer, fumifer» (cfr. alias voces apud O. GRADENWITZ, *Laterculi vocum Latinarum*, Leipzig, 1904), ex quibus nonnullae ut vera substantiva adhibentur. Si igitur «qui aquilam fert», vocatur «aquilifer», qui vaporem «vaporifer», qui arma «armifer», quare, qui calorem nobis fert, «caloriferum» vocare nequeamus? De novis verbis componendis cfr. SPRINGHETTI, S. J., *Institutiones stili latini*, Romae, 1954, n. 50.

12. **fornacator** [fagonero - chauffeur]: fortasse et «fornacarius»; cfr. FORCELLINI s. v.

carbonario [tender]: cfr. *Candidatus L.*, II (1929), 25; vel «currus carbonarius»; «plastrum carbonarium» (BACCI, s. v. *ferrovia*).

vaporitrahæ [locomotora]: «vaporitrahæ» saepius a Joveo nostro adhibetur (*Candidatus L.*, I (1928), p. 69; et PALAESTRA L., n. 24, p. 86); «machina tractoria, currus tractorius, vaporitrahæ» (BACCI); «locomotrix vapore acta» (ZENONI); «locomotrix» (*Juventus*, 27, 7, p. 50); «tractorium» (DUMAINE, *Convers. Lat.*, p. 275); «machina vectrix» (CAPELLANUS LAMER-JIMÉNEZ, *Guta de la Conversación Latina*, p. 72); «curriculum vaporarium» (*Alma Roma*): «vaporaria vel machina motrix» (AVENARIUS, PALAESTRA

L., n. 145, p. 175); «machina vaporans, m. vaporifera» (JACOBELLI, *In campo Latinistis novi flores*).

machinator [maquinista]: hujus vocis significationem —i. e. «machinarum inventorem, opificem, architectum»—, parum deflectentes, eum, qui nostra aetate machinam motricem moderatur et regit, «machinatorem» recte vocabimus.

subpraefecti: «subpraefectus», cfr. «subcenturio, subcustos (PLAUT.), subcurator». «Alter a praefecto; proximus a praefecto; praefecti vices gerens» (BACCI).

13. **caldaria** [caldera - chaudière]: antiquum vocabulum rei novae aptamus: «caldaria» enim [cella] «in balneis erat, in qua aqua calida lavabant» (FORCELLINI s. v.); et etiam «caldarium» (cfr. *Id.*).

fumarium [chimenea]: cfr. FORCELLINI, s. v.: «Item locus, unde fumus exit»; *Candidatus L.*, II (1929), p. 25.

emboli: «embolus» adhibetur a Vitrubio, 10, 7, 3; cfr. JOVÉ-FANLO, *Candidatus L.*, II (1929), p. 25 27: «Vis vaporis sese expandentis embolos impellit».

14. **rotalia** [rieles - rails]: «Rotalia esse volo quae sunt gallice, anglisce atque adeo hispanice rails, quibus irrotantur curruum ferriviariorum rotæ» (AVENARIUS, PALAESTRA L., XXIV (1954), p. 175); de qua voce egerat jam a 1950, p. 18³: «Nata sunt rotalia, quibus ferriviariorum curruum irrotarentur»;

15. Deinde mercium apotheca⁷¹ ante conspectum praeteriit. Curatores, in receptaculis, merces⁷² minima velocitate missas onerabant. Administri⁷⁶, prope aquae castellum⁷³, carros pecuarios⁷⁵ et constratos⁷⁹ administrabant ut mercium tramen⁸⁰ efficerent.

16. Extrema transgressi sumus mutatoria⁷⁸: juxta stabat custos mutatoriorum; semaphora⁸⁶ superavimus et statio e conspectu recessit.

et inter «rotalia» (*ri* et «curriculum» (*via, línea, voie, binario*) apte distinguit. LURZ (*Societas Latina*, (1952), p. 3: «tignum ferreum».

foricas: «locus, in quem alvi stercora deiecitmus: et dici videtur proprie de publico; ut de privato latrina» (FORCELLINI s. v.).

curriculo [*via, línea*]: «parta illa curriltum quibus demum ferrea via efficitur, mihi erunt *curricula*» (PALAESTRA L., XX (1950), p. 184 et PAL. LAT., XXIX (1954), p. 175. ubi habet «curriculum»). COGNASSO: «binarium, ferreum curriculum, línea ferrata», cet. WAGNER (*Dictionarium Hungarico-Latinum*): «línea ferrivaria»; BACCI: «gemini ferratae viae axes»; LURZ (*Societas Lat.* (1952) p. 3 s. v. *Bahn*): «binarium». P. Jové jam inde ab exordio (cfr. *Candidatus L.*, n. , p. 25-27); PALAESTRA L., n. 50, p. 91 «orbitam» adhibuerat; quae tamen vox Avenario parum apta videtur (PALAESTRA L., 1950, 122, p. 183), ab eaque, uti credimus, recedendum

currus dormitorii [*coches-cama - wagons-lits*]: COGNASSO, CAPELLANUS - L. - JIMÉNEZ (*Guta*, p. 72): «carruca dormitoria»; BACCI: «dormitorium hamaxostichi currus; dormitorium ferratae viae currus».

cenatorii [*coche - restaurant*]: COGNASSO: «carruca cenatoria»; BACCI: «currus escartus vel currus cenatorius».

tabellarii [*coche correo - wagon-poste*]: de voce «posta», «postalis» ampla et diuturna fuit investigatio, disquisitio, controversia; scriptorum sententias (Avenarii. Fornarii, Lurzii, Henzei, cet.) legas, (cfr. *Alma Roma*, oct. 1936, p. 174; *Societas Latina*, V (1937), 1, 1); disputatio Doctoris Lurzii optima est et vere probabilis (cfr. *ibid.* et a. 1952, p. 16); P. Joveus (PALAESTRA L., n. 50, p. 91) adhibuit «postale (sive tabellarium)».

15. **mercium apotheca** [*almacén de mercancías-gare des marchandises*]: «repositorium cella, in qua aliquid servandum reponitur, ut, sunt horreum, cella vinaria, carnarium, et alia hujusmodi in aedibus loca. .» (FORCELLINI s. v.)

receptaculis [*almacenes-hangars*]: cfr. AVENARIUS (PALAESTRA L., XXIV (1954) p. 175).

aquae castellum [*dépósito de agua*]: cfr. QUICHERAT, *Dictionnaire français-latin*, s. v. *château*.

carrus: sunt qui inter «carros» et «currus» saepius distinguunt; sic «carrus sarcinarius, onerarius» [*vagón, vagón de mercancías*] (*Candidatus L.*), n. 7, p. 25; vel «currus» (*vagón, coche de viajeros*), «currus viatorum, cenatorius, dormitorium» (BACCI). Sed ipse P. Joveus alibi (cfr. PALAESTRA L., n. 50, p. 91) habet etiam «currus sarcinarius», ut BACCI s. v. *ferrovia*.

constratos: «constratum carrum» dixi *vagón-plataforma*, cum alia vox non suppeteret.

administrabant [*mantobrar-manoeuvrer*]: cfr. QUICHERAT, *Dictionn. fr. lat.* s. v.

16. **mutatoria** [*aguja; aiguille, scambio*]: «rotalia mobilia —nam sic vocant Galli— ego feci mutatoria (substantive dumtaxat et pluraliter), quoniam his —vestris «agujas»— cursus tramitis mutatur, in aliud curriculum [*línea*] traducitur». Delendum igitur «orbitale», quod ab «orbita» erat deductum.

custos mutatoriorum [*guardaagujas - aiguilleur*]: a Joveo (PALAESTRA L., n. 50, p. 91) «declinator» fuerat appellatus: quae (vox) ad vocem ab Italis usurpata [*deviatore*] accedere videtur.

semaphora [*disco-disque*]: cfr. AVENARIUS, PALAESTRA L., n. 145, p. 175); «index, semaphorus, semapherus» (BACCI, s. v. *ferrovia* et *semaforo*).

17. Deinde in pontem ferreum⁷⁴ —qui fluvium⁸¹ emetitur— ingressi sumus. Quo trajecto, praeter fluvium progressi sumus, ubi potentia remulca⁸² graves trahebant lintres⁸³. Vectorum quoque navem⁸⁴ perspeximus cum haec ad pontonem⁸⁵ accederet.

18. Multis stationibus superatis, cuniculos⁸⁷ transgressi sumus atque plurimas domunculas⁸⁸ curatorum vallorum post nos reliquimus. Blande traminis succussu jactatus in gravem somnum incidi.

19. Repente e somno excitatus sum voce cujusdam praefecti clamantis: «Urbs Irun!, e curru omnes!». Haec illa erat portitorum inspectio et molesta officia finium [*frontera*]. Opus fuit horologium meum cum stationis componere, quod viginti quinque minutis retardabatur; vix expectatus minutarium⁹⁰ ab horario⁹¹ difficile discernebam; nebula matutina vel ipsum orbem⁹² obscurum reddebat.

20. Dum portitores speculationem perficiebant, picturas commendaticias⁹³ — quae stationis muros ornabant— oscitans perscrutabar. Jentaculum, ut tempus traducerem, sumpsi, chartam traminum⁹⁴ hispanicorum consului ut spatium, quo a Burgis aberam, cognoscerem; et rursus in currum ascendi spe fretus brevi ad finem itineris perveniendi.

17. **remulca-pontonem**: cfr. lexica.

18. **cuniculos**: BACCI (s. v. *tunnel*) habet: «cuniculus»; «cuniculus ferreis axibus constratus; cuniculus ferreis ductibus stratus, constratus; cameratus (concameratus) cuniculus ferreis ductibus constratus; ferratae viae cuniculus; cuniculus hamaxostichis pervius»; COGNASSO (s. v. *tunnel, traforo*), ubi et «transfossus mons» leges.

domunculas curatorum vallorum [*casetas de los guardabarreras*]: «curator (custos) vallorum»; Joveus adhibuit: «vallus»: *barrera* (*Candidatus L.*, n. 7, p. 25), et vox rei consonat.

19. **minutis**: cfr. quae Dr Lurz diseruit in recensione *Per lo studio e l'uso del latino*, IV (1943), p. 83, ubi proponit «minuta [pars]»

«secunda [pars]»; cfr. etiam *Societas Latina*, 1952, p. 14 et I. GONZÁLEZ, PALAESTRA L., I (1930) p. 75; sed neutro genere adhiberi posse putamus, «minutum [tempus], «secundum [tempus]»; (cfr. etiam HELMÁNTICA, *Viget Latinitas*, 18 (1954), p. 389); multi (ut COGNASSO) habent «punctum».

minutarium: a voce *minuto*, quod minuta computat (I. GONZÁLEZ, PALAESTRA L., I (1930), p. 75); WAGNER, (*Dict. Hungaro-Lat. s. v. perc*): «virgula minorum index».

horarium [*horario*]: quod horas horologii emetitur (cfr. PAL. LAT. *Ibid.*).

20. **picturas commendaticias** [*carteles, anuncios*]: his enim picturis variae res commendari solent et nuntiarí.

charta traminum: *mapa ferroviario*.

Jos. M.^a MIR, C. M. F.

MUSSOLINIUS CELEBRAT PERVIGILIUM NATALIS DOMINI -anno 1944-

Andreas Avenarius lectori:

Casu mihi nuper in manum datus est foliorum menstruorum, quae a sacerdotibus Pallottinis in Germania eduntur et ROSARIUM inscribuntur, fasciculus decembris anni superioris. In eo fasciculo Alfonsus Zenzen et ipse Pallottinus enarrat, qualem Mussolinius et Hitlerus postremum in hac terra habuerint natalem Christi diem. Cum legissem, statim mihi rem Latine interpretandam et lectoribus PALAESTRAE proponendam statui. Est autem sic: Praefatur relator: Nobis primis placuit narrare, quae ante hunc diem manserant vulgo incognita: redisse, abhinc annis decem, in communionem fidelium Mussolinium. Rem nos narrabimus nulla ducti affectatione admirationis, sed simpliciter planeque, et ita ut etiam gesta est.

Et his narrat verbis: Mense Augusto «Frl. B» (hoc lege *Fräulein B.*, hoc est italice *Sig.na B* - interpretans *Bertam virginem* appellabo ego), ludimagistra me adit, pollicereturne operam suam gubernatori pagi illius; nam Forsterum se esse velle suam scribam. Spatio ad deliberandum sumpto diei unius haud dubie respondi acceptare debere, sed ita ut non cogeret dare nomen factioni neque periclitarentur mores fidesque. Utrique condicioni obtemperatum esse cognitum postea est.

Exeunte jam novembri anni 1944 Berta a Forstero gubernatore iussa est servire Mussolinio, qui brevi intervallo profectus Berolino Dantiscum (Danzig) venturus esset. Praeter Hitlerum, Himmlerum, Forsterum et ipsam Bertam neminem mortalem debere resciscere Mussolinium adesse. Sic vixdum statutum erat, cum Mussolinius nemini notus, habitu civili, nullo comitatus principalem stationem urbis Dantisci attingit. Quem pagi gubernator confestim curru vehendum curat ad Montem grandinis (Hagelsberg), veteris communionis castellum, tum latibulum gubernatoris. Hic Mussolinius uno excipitur conclavi, quo praeter Bertam nemini patebat accessus, et videbatur coacta fere custodia esse Duci assignata. Valetudo viri aegra erat et dubia, unde apparuit proprium Bertae officium hoc fuisse, ut curam sustineret Mussolinii graviter aegrotantis.

Subministrabat cibos ex urbe allatos locique totius componebat ordinem. Et jam prima nocte infirmus gravibus cardiacis accessionibus quassari coepit. Berta, cum non liceret advocare medicum et ipsa nesciret, quid in re esset faciendum, per telephonium me adit. Prodito a me colloquio ex nosocomio Mariano edocta est, quibus medicinis infirmus ad tempus relevari posse vi-

deretur, tandem permissu Himmleri admissus quidam est medicus ex urbe Monachio Bavariae profectus, decumbentem Ducem curaturus.

In solitudine ac morbo Mussolinius tractare amabat quae pertinerent ad cultum ingenii, libros et litteras identidem memorans deceptum se esse fide amicorum, expertum, quae tangerentur in Schilleri VADIMONIO. Libentissime sermonem faciebat de rebus religiosis, quippe cum ipsum tempus adventus celebrationum ecclesiasticarum incitaret memoriam. Cum Berta coronam ex abiegnis ramusculis nexam afferret (Germani «coronam adventus» vocant et infigunt quattuor candelas accendendas pro dominicarum numero), Mussolinius adhortatus est, ut singulis adventus dominicis religiosi haberentur concessus. Hic Berta narrare debebat, et ad verbum fere, quae in S. Nicolai ecclesia sacerdos in homilia dixisset et e Schottiano missali libro legebatur evangelium dominicae. Hic Dux etiam amoentates praedicabat Italiae, laudabat urbem Romam atque Vaticanum palatium. Commemorato vero pacto Lateranensi magna cum reverentia loquebatur de Pio XII, nunc Summo Pontifice, tum Pontifici Status Secretario, quem maximum sui temporis virum nominabat.

Ingravescente autem morbo dicebat se reconciliari cupere Ecclesiae, se confiteri peccata, eucharistiae et sacri olei suscipere velle sacramenta, et cum sciret Bertam saepe communicare mecum, ut ego sibi praestarem operam sacerdotalem per illam rogavit, hoc vel magis, quod Congregationem Pallottinorum Romae cognovisset. Et Forsterus quidem de eo desiderio certior factus non permittendum censebat, quod convenisset, ne confideretur, quid ibi gereretur rerum pluribus; tamen voluntatem Ducis detulit ad Hitlerum, qui respondit consentire se, si Berta spondeat sacerdotem rem secreto secum habiturum et penitus celetur Himmlerus.

Convenit igitur, ut a me ministrarentur sacramenta certo die, qui fuit quidam, inter dominicas secundam et tertiam adventus, dies ad vesperum. Et jam exspectabam domi nostrae currum gubernatoris, quo portarer ad diaetam Mussolini, cum repente necopinato interventu Himmleri coeptus noster interiiit. Illi nescio quā subolebat; nam ex Berta omnibus modis extorquebat, adfuissetne sacerdos ferociter minitans, si dissimularet, perituram. Cum illa optima fide juraret neminem sacerdotem visum esse apud Mussolinium, remittebat minas; sed poenam capitis daturam, si unquam datus sacerdoti accessus esset.

Dies Martis aut Mercurii hebdomadae secundae adventus (nam pro certo de die, amissis in fuga codicillis, affirmari non potest) Mussolinius transportatus est in Borussiam orientalem. Jussu Himmleri primis tenebris a duobus tribunis aggressorum («SS» est *Sturmscharen*: turmae aggressorum) curru delatus est unaque Berta virgo et ille medicus. Quo? Ad quoddam praedium solitarium, vicinius certe praetorio Hitleri. Habitabat domum matrona surda et muta, custodiebant quinque, sex, summum octo ex numero aggressorum.

Incumbebat omnibus officium, ut Mussolinium quovis prohiberent commercio exterorum.

Qui tamen insolentia anxius loci et novas veritus accessiones cardiacas non cessavit orare et obsecrare, ut potestas sibi fieret redeundi in gratiam cum Ecclesia. Quodam igitur die, cum satis male habere coepisset Mussolinius, Berta virgo se vehi jussit in proximi vicina vici, unde pedibus progressa per silvam contendit ad ejus vici parochum petens ab eo, ob casum extremæ necessitatis, sanctissimum Sacramentum. Quod minus intellexeret insolitæ petitionis rationem, telephonice vel telegraphice mecum ageret parochus. Quod ille cum fecisset, certissimam a me fidem accepit, qui celandus esset, cujus rei gratia Berta sibi permitti posceret Sacramentum.

Itaque post flammea verba poenitentis animi, quæ Berta Duci non semel praeiit, is obortis in oculis lacrimis panem accepit eucharisticum et se reliquum diem solum volebat cum suo Deo. Postridie mane occurrit Bertae meliorem prae se ferens habitum valetudinis, oculis interna lucentibus felicitate. Præ die dominicam adventus quartam Berta, ut efferret quæ ei opus erant utensilia, Dantiscum venerat. Dominica ipsa, postmeridianis horis, quæ adhuc gesta essent penitus percepimus. Et cum illa jam vespere reversura esset in Borussia orientalem neque fieri posse videretur, ut in istam solitudinem ad diem Christi natalem deferretur Corpus Christi proficiscenti duas commisi sacras species Duci nataliciis ipsis diebus tradendas. Has Berta reverenter asservebat in capsula cubiculariæ mensulae.

Quæ ad externam celebrationem diei natalis pertinerent: parvum prae-sepium, poëmata, cantica, Berta adjuvante medico apparaverat. Sacram Communionem fastigium volebant pervigilii natalis, quam Mussolinius post horam quintam devotissime accepit. Expleta octava hora inchoata externa celebratio est ad quam venerat etiam Hitlerus. Dum ab arbore clarissime splendent lumina, legitur ex evangelio faustissimus ille in urbe Bethlehem eventus. Deinde constituto jam ante ordine medicus et Berta recitant poëmata, canunt, legunt, clavichordio sonant et violina. In fine cum canere coepissent «Stille Nacht» Dux ipse studiose concinuit. Hitlerus, qui ita interfuit celebrationi, ut Ducem manu teneret, presa dextra Bertae: «Est vero, inquit, celebratio christiana sacrae noctis res pulcherrima». Et discedens, ut signum daret placere sibi officia a Berta impensa Mussolinio, ipsam donat birota

Post horam decimam adventat Himmlerus, qui ab officario suo cognoverat Bertam nuper vectam esse in propinquum vicum. Neque vero hunc sanctitas impediebat noctis natalis Christi, quin severam haberet quaestionem ex Berta, quo se contulisset et quam ob causam. Haec illi aperte et constanter respondit se a loci illius parochi Sacramento petisse pro Mussolinio. Himmlerus ad hoc diabolico cum cachinno rursus necem minitatur, si fidem perrexisset fallere. Et tamen postridie Bertae strenae nomine equum misit et litteras «hesternae fortitudini».

Illis qui secuti sunt diebus Mussolinius alias duas fecit sumptiones eucharisticas, et manifesto cum pace animi confirmabatur valetudo corporis, adeo ut Berta virgo, festo S. Joannis Apostoli die in nonnullorum dierum spatium redire potuerit Dantiscum, ubi paulo post telegrammate facta est certior jam non necesse esse ad suum redire officium.

Mussolinius in Italiam revertens ad spatium tridui constitit Dantisci. Cui Berta XII Kal. febr. ostendebat urbis visenda, in primis basilicam S. Nicolai, quam lustrabat diligentius commemorans interim, quae acta erant per adventum proximum. Et hoc sibi permolestum dicebat, quod non posset salutare me, qui, ut interesset funeri, illis diebus alio eram profectus. Sed per Bertam mihi perferri jussit litteras in hunc conceptas modum: «Reverendissime Pater, ut me aliquo modo gratum exhibeam pro muneribus per Bertam virginem mihi tributis, liceat mihi profari me pastoralis opera tua maximo et nulla oblivione delendo beneficio affectum esse et me sperare aliquando referre gratiam posse. Manus».

Dolendum sane, quod cum ceteris adnotationibus in illa fuga etiam hoc documentum interiit.

Mense decembri anni 1944, aegrotante Duce Dantisci in Monte grandinis ephemerides Germaniae magnis lineis et litteris nuntiabant Mussolinium Mediolani pompas agere militares. Ex his, quae facta postea sunt, et ex tragica viri morte cognitum est tum revera eum iter fecisse in Italiam. Veniat dies, quo dignoscatur utrum juste Mussolini obitus tanto pollutus sit dedecore anne injuria. Berta quidem virgo propius cognito homine tam diu censet non potuisse, qui tam serio resipuisset, ad istum modum deficere.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Jam ut videas quale fuerit quod Mussolinius cum Hitlero celebrans pervigilium natalis Domini anno 1944 ad arborem natalem et praesepe stans concinuerit, lege carmen a me alias editum, non tamen adeo ut nunc cogitate et limate. Exscribo hoc libentius, quod interim vidi non in sola Germania cantari «*Stille Nacht, heilige Nacht*».

Dum silent — Nocte sacra — Cetera — Et tuo
Lecto Par tenerum vigilat:
Somnus te placidus teneat,
O Puella Deus — O Puella Deus.

Quod prius — Nocte sacra — Angeli — Nuntiant
Pastorum vigili populo,
Tota jam terra recinat:
En, Salvator adest! En Salvator adest!

Dum silent — Nocte sacra — Omnia: Gratia,
Jesu, ridet ab ore tuo;
Nascens amissum reparas
Caelum terrigenis, Caelum terrigenis.

NOVA ET VETERA

VIA

1. In hodierna populorum ac nationum consuetudine *viae* sunt tanquam modi rationesque ad mutuam inter ea commodum, quibus humanae sortis commercium foveatur, explicandum. Hoc communiter nomine veniunt illae pavitae terrae solave, qua solent homines, animalia in primisque vehicula commealare; proprie vero terrena illa, quasi taeniae, plus minus ampla aptaque technicae arti, ad eundem finem facilius nanciscendum.


Cum uno haerere in loco non possimus, quoquo transire opus est. Quod si prope fiat, itio est; si procul, iter; si ultro citroque, commealatio; si animi gratia, deambulatio; si per campos aliquid quovis modo conquirendo, peragratio; si ob regionum peritiam, peregrinatio; si vero ad alibi habitandum, migratio. Decretoria autem migratio mors, quod Ciceroniana vox illa praedicat: «Migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui vita excesserunt, incolunt».

Quaedam autem hic perstringere juvat his de vocibus fere synonymis: *iter, meatus, via, trames, semita, callis*.

Iter, a verbo *ire*, et meatus, a verbo *meare*, modo in primis abstracto rem, quae fit, significant: profectionem nempe vel proficiscendi actionem. Hoc tamen discrimine: iter, ut plurimum, de homine; meatus vero de iis, quae anima carent, dicitur. Itaque concinne de solis lunaeque meatibus disputabis; at commode dices: Iter illi saepius in forum.

Via rem concreto, quod dicitur, modo exprimit: id est, solum vel terrenum qua itur seu meatur. Quod facile animo advertere vales hoc Ciceroniano exemplo: «Iter conficiebamus aestuosa et pulverulenta via». Nihilo secius scriptores saepe numero uti consuerunt voce «*iter*» eadem significatione ac voce «*via*»; tuncque altera fere semper notionem directionis additiciam ad metam usque, sit tritum ac frequens spatium, necne, adhibet; altera autem, si non spatium frequens, illud quo usus est *ire*, designat. Hac quidem ratione mente vox illa Caesariana capitur: «Viarum atque itinerum duces».

Iter atque via, ampla seu angusta esse possunt; trames autem, semita, callis nunquam arta non erunt. Hoc vero discrimine: Trames iter est transversum, quod hispanice *atajo* dicimus. Semita via est, quae secundum aliam principem, qua solent ire pedites, extenditur. Denique callis via est in montibus vel silvis, quae passui in primis animantium inserviat.



2. Jam nunc, animi relaxandi gratia, conspice grammicam supra deformationem: non nulla de re vocabula, latine et hispanice expressa, memoriae tironis mandanda, adhibentur.

- | | |
|---|---|
| 1 Autopista, <i>curulis via</i> | 10 Piedra militar, <i>miliartum</i> |
| 2 Camino de sirga, <i>tractoria via</i> | 11 Calzada, <i>strata via</i> |
| 3 Trinchera, <i>vallum</i> | 12 Guardacantón, <i>tutamentum</i> |
| 4 Vereda, <i>semita</i> | 13 Bache, <i>scrobiculus</i> |
| 5 Peralte, <i>peraltum</i> | 14 Alcantarilla, <i>cloaca</i> |
| 6 Viaducto, <i>viae ductus, us</i> | 15 Badén, <i>incile, is</i> |
| 7 Terraplén, <i>agger, eris</i> | 16 Carretera, <i>lata via</i> |
| 8 Cuneta, <i>fossicula</i> | 17 Encrucijada, <i>compita, orum</i> |
| 9 Señal, <i>signum</i> | 18 Estriberón, <i>fulcrum prominens</i> |

3. Permulta hic negotio facili persequi possum de natura, technica, diversitate viarum nostra aetate, ut commercii consuetudinisque inter populos modi atque rationes; minime vero hunc modo ingrediar callem: id mihi non commodum est. Operae pretium duco, si de ratione monstrandi viam, quae scripserit Terentius, tibi, lector, describam. Dialogus inter Demeam et Syrum est:

«DEMEA. — Estne frater intus?

SYRUS. — Non est.

D. — Ubi illum inveniam cogito.

S. — Scio ubi sit; verum hodie nunquam monstrabo.

D. — Hem, quid ais?

S. — Ita.

D. — Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.

S. — At nomen nescio illius hominis, sed locum novi ubi sit.

D. — Dic ergo locum.

S. — Nostine porticum apud macellum, hac deorsum?

D. — Quidni noverim?

S. — Praeterito hac, recta platea sursus. Ubi eo veneris, clivus deorsum versus est; hac te praecipitato. Postea est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.

D. — Quonam?

S. — Illic ubi etiam est caprificus magna. Nostine?

D. — Novi.

S. — Hac pergito.

D. — Id quidem angiportum non est pervium.

S. — Verum, hercle. Vah, censesne hominem me esse? Erravi: in porticum rursus redi. Hac sane multo propius ibis et minor est erratio. Scisne Cratini hujus divitis aedes?

D. — Scio.

S. — Ubi eas praeterieris, ad sinistram ito, hac, recta platea. Ubi ad Dianae templum veneris, ito ad dexteram. Priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum, est pistrilla et exadversum fabrica: ibi est.

D. — Quid frater ibi facit?

S. — Lectulos ilignis pedibus faciendos dedit, quibus utatur in sole.

D. — Ubi potetis vos! Bene sane. Sed cesso ad eum pergere (*Abit*).

S. — I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium! »

4. Sed haec hactenus. Phraseologia sequenti rem nostram, ut nunc est, finiendam duximus:

Via militaris, camino real

Viam sternere, empedrar el camino

Marginare viam, poner borde al camino

Substruere viam glaream, engravar un camino

Via trita, camino fruentado

De via decedere, ceder la acera

Viam aperire, abrir una ruta

Viam intercludere, cortar un paso

Via fert aliquo, el camino conduce a algún término

In viam se dare, ponerse en camino

Recta (via) proficisci, ir por el atajo

De via declinare, apartarse del camino

Via Apia proficisci, ir por la Via Apia

Errantem viam monstrare, indicar el camino

Error viarum, desconocimiento de los caminos

Viam persequi, proseguir su camino

Longam viam conficere, hacer un largo viaje

Fessus de via, fatigado del camino

Iter facere, hacer un viaje

Iter una facere, viajar en compañía

Iter ingredi equo, ir a caballo

Iter aliquo dirigere, dirigirse a alguna parte

Longum itineris spatium emetiri, hacer un viaje muy largo

Ex itinere redire, tornar de viaje

Iter conficere, acabar el viaje

Itinera componere, trazar el itinerario

In itinere, durante el viaje

Magnis itineribus, a largas jornadas

Iter terrestre, viaje por tierra

Itinera diurna, nocturna, marchas de día, de no-

Iter unius diei, una jornada [che

Iter impeditum, camino impracticable

Iter claudere, cerrar el paso

Ultimas terras peragere, recorrer los países más

Peregre esse, estar en el extranjero [lejanos

Peregre proficisci, viajar al extranjero

Rus excurrere, dar un paseo al campo

Ruri vivere, rusticari, vivir en el campo

Romam concurrere, acudir a Roma

Obviam alicui ire, salir al encuentro de uno

Incidere in aliquem, encontrar a alguno

Viam tuam abi, vete por tu camino

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ C. M. F.

FRUTTA

1. L'UVA

Carezzata dal sole, nella vigna maturo
col salutar mio succo, inebrio, esalto, curo.

2. L'ARANCIA

D'inverno il Ciel benefico sulla terra m'invia
perchè dispensi all'uomo calore ed energia.

3. IL FICO D'INDIA

La mano che mi coglie pungo siccome un ago:
la bocca che mi gusta con la mia polpa appago.

4. IL MELOGRANO

Appena, con fatica, m'avrai tagliato a spicchi,
t'allegregeran la vista i miei purpurei chicchi.

5. LA CILIEGIA

Di rubicondo aspetto, son del frutteto il vanto:
labronico Maestro m'immortalò col canto.

6. L'ALBICOCCA

Ho i colori dell'alba; son morbida ed aulente:
attesta il mio profumo che vengo dall'oriente.

7. LA PRUGNA

Vanto regali origini; alligno dappertutto:
arde per me d'invidia ogni pregiato frutto.

FRUCTUS

ad Albertum Mortera

Quos misti Italicos, fructus tibi, amice, Latinos
reddo, tantillum pignus amicitiae.

O utinam, hos si quis degustet, plena canistra
fructibus haud fictis gratus utrique ferat.

I. UVA

Vinea me mitem fert sole calente: salubri
suco hilaro, curo, pectora laetifico.

II. MALUM AUREUM

Me superi in terras hiemali tempore mittunt
ut sit terrigenis visque calorque satis.

III. FICUS INDICA

Instar acus, properat si quis me carpere, pungo;
pulpam degusta, tuque beatus eris.

IV. MALUM GRANATUM

Ut me diffideris, queis consto, partibus aegre,
purpureas gemmas ilico conspicias.

V. CERASUM

Vultu sum rubeo, camporum gloria; Labro,
me extulit aeternis musicus ille modis.

VI. ARMENIACUM

Prima ut lux niteo, sum fragrans, molle, tenerque
me vectum eoo limite narrat odor.

VII. PRUNUM

Me regio omnis habet regali germine natum;
acri me invidia dulcia quaeque premunt.

8. LA MORA

Son dell'infanzia il fruto; ogni fanciul rallieto,
o mi colga sul gelso o mi strappi al rovetto.

9. LA PERA

Regina delle frutta, nutro e disseto insieme:
in me tutto è gustoso: e scorza e seme.

10. IL FICO (albero)

Fui sacro; ogni mia foglia il pudor simboleggia:
per questo al giorno d'oggi la gente mi dileggia.

11. IL POMO

Seminai la discordia senza alcuna mia colpa:
oggi, concordi, gli uomini esaltan la mia polpa.

12. LA PESCA

Col mio profumo inebrio, col mio colore incanto:
pel mio sapore porto sugli altri frutti il vanto.

13. IL MELONE

Gli amici d'oggiorno pari ai meloni sono:
se tu ne provi cento, uno ne trovi buono.

14. LA BANANA

Dai tropici provengo; son ottimo alimento;
di danzatrice negra fui tipico ornamento.

15. LA FRAGOLA

Tra quanti frutti allignano il più fragrante sono:
nuda, ma vereconda, m'offro al passante in dono.

ALBERTO MORTERA

VIII. MORUM

Me puer omnis amat, puero do gaudia magna,
seu legit e moro, seu rapit ille rubo.

IX. PIRUM

Pomis praesto; famem compesco sitimque repello;
dulcia gustanti semina, pulpa, liber.

X. ARBOR FICI

Olim sacra fui; folia haec sunt signa pudoris;
hinc me turba suis nunc petit usque probris.

XI. POMUM

Expers te culpaevi, Discordia; sucos
at nunc concordi plebs probat ore meos.

XII. PERSICUM

Ut meus explet odor nares, color allicit ipse,
omnia sic vincit dulcia poma sapor.

XIII. MELO

Tamquam melones sunt nostrae aetatis amici:
centum degustes, vix bonus unus erit.

XIV. FRUCTUS NOMINE BANANA

Sum cibus eximius, me fert terra usta calore;
me nigra saltatrix praebuit usque decus.

XV. FRAGRUM

Nil olet in terris fragrantius. Ecce, viator,
munera nuda tibi, sed pudibunda sumus.

latine vertit Jos. MORABITO

DE SUBITO REGNI CRETICI INTERITU

Regnum Creticum ab anno MM ad annum MD a. Chr. n. floruisse et Cretes ipsos usu rerum nauticarum et scientia plurimum valuisse historia hodierna liquido demonstrat. Quo enim diligentius fossores ruinas insulae et rudera perscrutabantur, eo magis rerum cotidianarum cultum, luxum, eximia artificia admirabantur. Nec mirum, nam Cretum classis non solum inter Hellespontum et Herculis columnas navigare, sed etiam ulterius progressa stannum ab Albione insula importare solebat. Nondum Dores, una ex quatuor Graecorum tribubus, in terra continenti adulti usu maritimo erant assuefacti. Aegyptii autem, «Hycsorum» incursionibus infestis graviter afflictati, quasi torpebant. Necdum Phoenices in lucem prodierant. Ideo Cretes principem in mari mediterraneo locum obtinuerant. Qui rerum status et condicio per annos circiter quingentos permanebat.

Regnum autem florentissimum subito de historiae scaena discessit. Nec vix credendum ab Aegyptiis aut a Doribus fuisse extinctum. Jam cum historicorum sententiae in varias abirent partes, interitus regni Cretici diu in obscuro latebat. Tandem societas quaedam Suedica, historiae Antiquitatis amantissima, rem accurate est aggressa. Nam cum fundum maris Cretici diligentius perquisisset, in ipsis sedimentis eruptionis «volcaniae» cineres plurimos invenerunt. Quorum de ortu primum dubit, postquam diligentius sunt scrutati, cineres illos de monte ignivomo Santorino, in insula Thera sito, esse profectos et intra annum MM ad annum MD a. Chr. n. in maris fundum descendisse convenerunt. Praeterea cum summam sedimentorum copiam invenissent, eruptionem illam ab hominum memoria vehementissimam fuisse conjecerunt. Quamquam Santorinus, mons ignivomus, a Creta insula leucas centum distat, tamen totam insulam eruptione illa prorsus devastatam dicere non sunt cunctati. Nam regnum Creticum ex illo tempore omnino extinctum fuit ejusque in locum Phoenices successerunt.

Quae Societas Suedica supra commemorata erat conjectata, ea a societate quadam Germanica aucta et firmata sunt. Vergente enim saeculo proximo in insula Thera diu morata, sub cineribus «volcaniis», ut dicunt, urbem Pompejis similem invenit, bene servatam, praeterea templa, scholas, arenas, domos militares. Stupebant fossores et inter se quaerebant, qua eruptione haec urbs splendidissima interisset. Sed quaerentibus venit in mentem eruptio terrificam montis ignivomi Krakatoae, qui a. d. VI, Kal. Sept. anni MDCCCLXXX ingenti fragore eruperat comminutis saxorum L km. cubicis. Situs est Krakatoa mons ignivomus in mari Indico.

Jam quae societas Germanica divinarat, ea societas Suedica novis iisque criticis investigationibus confirmavit. Hinc hodie inter doctos constat montis ignivomi Santorini eruptionem, qua et urbs Thera et insula Creta interisset, fuisse immanem.

Qua supposita ruina, viri illi effecerunt exstare fontes antiquos oportere qui pauca de hac re traderent. Ac primus Dr. Schoo, Batavus, famam de gigante Talo Graecam ad montis ignivomi Santorini eruptionem esse referendam dixit. Cujus scriptoris vestigia secutus est geographus Germanus Henning. Declarat enim Deucalionis et Pyrrhae famam nihil aliud esse nisi antiquam ac debilem memoriam illius inundationis, quae eruptione montis ignivomi Santorini facta summas ad oras Graecas egisset. Jam hic quaeritur, quomodo id fieri potuerit. Non omnes montes ignivomi e maris undis exstant, sed aliqui ore clauso sub undis latent. Quomodo autem ejusmodi montium ignivomorum eruptio fiat, geologia liquido demonstrat: Esse ejusmodi montes diu quietos, subito autem causa caeca latis patescere rimis atque summam aquarum vim haurire. Quas, ubi migma candentissimum tetigerit, in vapores calidissimos verti. Quos, spatio montis coartatos, vi innata summopere extendi et omnia in circuitu: saxa, arenas, urbes, immo integras sublimis ferre, diffindere, projicere. Ita fieri, ut paulo post saxa liquefacta et favillarum imbres grandinis instar in regiones longe remotas decidere. Cum enim mons ignivomus Krakatoa subito ingenti vi discinderetur, materiae jectae in regiones ad leucarum milia distantes fuere perlatae. Pertinet autem mons ignivomus Santorinus ad ignivomorum genus latentium.

Verum quid sentiendum est de tonitribus et caligine, de quibus fontes antiqui referunt? Num cum eruptione Santorini aliquo modo cohaerent? Id quoque solvit historia. Cum enim mons ignivomus Katmy Alascae paeninsulae a. d. XV Kal. anni MCMXII erupisset, copia cinerum tam densa decidit, ut incolae aliquot centenis leucis distantes lampades accensas metro remotas videre non potuerint. Eruptione montis ignivomi Tomboro facta urbem Diotiakartamam in Indonesia jacentem et nongentis leucis sejunctam nox nigra involvit et illa immanissima eruptione Krakatoae montis ipse sol in circuitu CCCC milium leucarum quadratarum obscuratus fuit. Fontibus igitur illis antiquis fides aliqua est habenda.

Cum Aegyptii, extincto regno Cretico, diutinis «Hycsorum» bellis paene exhausti essent, Phoenices, qui ex Oriente immigraverant, maritimum imperium sensim ad Herculis columnas protulerunt et saeculo XII a. Chr. n. prope urbem florentissimam Tartessum, Gades, unam ex antiquissimis Europae urbibus, condiderunt. Sed cum a Doribus ex mari Orienti summoti essent, anno circiter DCCC fundamenta urbis Karthaginis, velut propugnaculum imperii sui maritimi, jecerunt.

N. MANGEOT, S. J.

¡Hacia Roma!

Romam versus¹

Los padres despiden a su hijo Aulo y al Maestro delante del carruaje.

(Parentes Aulo filio praeceptorique ante raedam vale dicunt).

MADRE. — ¿No os dejáis nada de lo necesario para el camino? Aulo, arremángate la túnica hasta las rodillas.

MATER. — Nihilne viatici relinquitis? Accinge, Aule, tunicam ad genua.

AULO. — Madre, trae el manto con capucha (capote); alárgame la bolsa de viaje.

AULUS. — Da, mater, paenulam. Porrige marsupium.

PADRE. — A tu llegada a Roma, saluda a los amigos en mi nombre.

PATER. — Tuo adventu Romam, amicos meis verbis saluta.

A. — Adiós; ¡conservaos bien!

A. — Valete, valete quam optime!

M. — ¡Buen viaje, hijo! ¡Marcha y regresa con toda felicidad!

MATER. — Sit iter laetum, filii! Bene ambula et redambula!

Llevados por el carruaje, los viajeros abandonan Tarragona.

(Curru vecti, viatores Tarraconem relinquunt).

A. — Nuestro carruaje, maestro, corre por la vía Augusta.

A. — Raeda nostra, praeceptor, via Augusta decurrit.

M. — A la puesta del sol, si no me engaño, estamos cerca de Barcelona.

M. — Solis occasu, nisi fallor, prope Barcinonem sumus.

A. — Los caballos vuelan; disfrutamos de una buena temperatura; la carretera está junto al mar.

A. — Equi advolant; optima caeli temperie gaudemus; via mari adjacet.

M. — Y además está cuidadosamente pavimentada; una de las principales que van en derechura a la Ciudad.

M. — Est praeterea accurate strata, una e praecipuis quae ad Urbem recta pergunt.

A. — ¿Tantas carreteras, pues, tenemos los Romanos?

A. — Tot igitur vias habemus Romani?

M. — Así es, por cierto. En ellas campea nuestro poder y genio práctico: así lo exige la táctica en la guerra y en los negocios.

M. — Ita vero est! In eis praestat nostra vis et ingenium ad agendum; ita postulat ratio belli atque negotiorum.

(1) Specimen vulgamus dialogorum Latinorum, qui in discis phonographicis incidentur, et inscribuntur «Cursus phonobilinguis scholarum Linguae Latinae C C C» (Curso fonobilingüe de latín C C C - San Sebastián) Dialogus e III libello desumitur.

- A. — Veo lejos unos hombres, bajo unas encinas, en unas curvas de la calzada.
- M. — Reparán el camino de un corrimento de tierras y reciente inundación.
- (*Mientras decían tales palabras se apartaban hacia un desvío*).
- M. — Fíjate, Aulo, el que está sentado próximo a un montón de piedras es el inspector de caminos.
- A. — Sí, maestro, revisa las obras de los jornaleros.
- M. — Nos presentamos muy a tiempo; reparan la pavimentación.
- A. — Expón en pocas palabras la manera de pavimentar.
- M. — Mira y escucha. Unos trabajadores ponen los fundamentos. Otros apisonan encima con pisones grava mezclada de cal y arena. Otros, por último, pavimentan la carretera con losas. A veces sustituyen la piedra con grava machacada.
- M. — ¡Ya estamos de nuevo en la calzada! ¡Gracias a Dios! ¡El desvío era realmente escabroso!
- A. — ¡Ya me atormentaba el mareo!
- M. — Descansa del mareo, Aulo. Ahora ríe ante el carruaje una feracísima llanura.
- A. — Junto al miliario hay una encrucijada de tres caminos.
- M. — Son caminos vecinales: llevan a unos poblados.
- A. — ¿Ves, ves, maestro? La calzada está obstruída de vehículos. ¡Qué apelotonados marchan!
- M. — Un tardo carro tirado por bueyes y una carreta cargada de vigas obstruyen la carretera...
- A. — Video procul homines sub quercubus, in anfractibus viae.
- M. — Iter reficiunt ex terrae lapsu et recenti eluvie.
- (*Dum talia verba dicebant, e via in diverticulum declinabant*).
- M. — Vide, Aule; qui sedet proximus congeriei lapidum, est curator viarum.
- A. — Ita est, magister, opera mercenariorum recognoscit.
- M. — Peropportune adsumus; strata restituunt.
- A. — Expone paucis verbis sternendi modum.
- M. — Vide et audi. Alii operarii jaciunt fundamenta. Alii super inculcant paviculis rudus calce et arena mixtum. Alii demum, viam silicibus sternunt. Saepe saxo glaream supponunt.
- M. — Iterum in via sumus! Deo gratia! Diverticulum vere scabrosum erat!
- A. — Nausea jam me torquebat!
- M. — A nausea, Aule, conquiesce. Nunc ante raedam planities laetissima ridet.
- A. — Juxta miliarium est trivium.
- M. — Vicinales sunt viae: ad pagas ducunt.
- A. — Viden', viden', praeceptor? Via vehiculis obstructa est. Quam glomerata procedunt!
- M. — Lentum plaustrum a bubus tractum et sarracum onustum trabibus viam intercludunt...

A. — Los labradores sueltan la risa locamente. Los restantes cocheros arman gran alboroto y estrépito con sus gritos y látigos.

M. — Por fin los labradores se desvían hacia una granja. ¡Ya pasaba de broma!

A. — La calesa se aleja velozmente.

M. — Hay competencia de velocidad entre los cocheros de dos diligencias.

(Cuatro siervos llevan en una litera a una señora. La señora asoma la cara por entre las cortinas de la litera).

M. — ¡Adiós, señora!

SEÑORA. — ¡Adiós!

M. — Aulo, el sol se hunde en el ocaso. Teníamos esperanza de llegar a Barcelona, pero los obstáculos del camino...

A. — ¿Qué importa? ¡Estamos cerca! Mañana a primera luz llegaremos a la ciudad.

M. — Sin duda alguna. Veo una venta y escucho los ladridos de los perros. Allí hacemos alto en el camino: hay albergue para todos.

A. — *Agricolae miros risus edunt. Ceteri aurigae magnum convivium strepitumque faciunt vocibus ac flagellis.*

M. — *Tandem agricolae in villam deflectunt. Extra jocum res erat!*

A. — *Cizium velociter se disjungit.*

M. — *Certamen est velocitatis inter aurigas duorum carpentorum.*

(Quattuor servi dominam vehunt lectica. Domina faciem inter vela lecticae educit).

M. — *Vale, domina!*

DOMINA. — *Valete vos, quoque!*

M. — *Aule, sol in occasum vergit. Spem perveniendi Barcinonem habebamus; sed itineris impedimenta...*

A. — *Quid refert? Prope sumus. Cras, prima luce, ad urbem veniemus.*

M. — *Ita prorsus! Video cauponam ac latratus canum exaudio. Ibi intermittimus iter; omnibus hospitium est.*

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

VICIT AMOR¹

Utrum id ab hominibus acceperim an mihi mea somnia effinxerint, plane nescio.

Tamen sine, quidquid est, tibi me enarrare.

Maris undae, ut die festo, quasi candidis spumae paliis ornatae refulgebant. Aliae alias risibus conspergebant, omnesque exsistentes ad deosculandam arenam litoris certatim percurrerant. Aliae ad mare altum revertebantur, aliae molliter in arenis sedentes, in diutissimum quendam risum evanescebant... Jamque maria nebulis noctis caligabant, cum ipse ad oram appropinquavi, meque fluctus quasi laetitia consperserunt:

—«Ibi procul in montibus —undae me alloquuntur— vir sanctus habitat. Eum ipsae noctu Deum precantem, diu assidue laborantem vidimus. Pete, ergo, montes. Quodsi crastina die demum in hunc locum perveneris, circa duodecimam horam refulgentem stellam medio caelo contempleris»...

Hic sanctus Dei vir,—postea enim certior factus sum— prima luce descendit ad pagum quod ad radices montium exstat, ubi magno studio totus in laborem incumbit, quin tamen ex ejus animo unquam Dei memoria discedat. Opere confecto cum asino suo onerario montem conscendere incipit; cumque sol vehementissime incalescit, juxta fontem montis pellucidum, qui viae adjacet, transit. Uno duntaxat, aquae haustu et os et guttur aridissimum ultro refrigeraret senex; tamen semper, vincit amor, semperque, cotidiano more, hanc parvulam suo iudicio molestiam Deo devovet. Caelum vero cotidie, optimam viri voluntatem remunerans, luce meridiana stellam, quae seni arridet, in nebulis describit. Quod mirum singulis diebus accidit.

Aliquot transactis mensibus, ecce puer, ad observandum illud vivendi genus, pauperrimum virum adit. Puer quidem tenerae aetatis sed novarum divinarumque rerum cupidissimus, hunc sanctissimum virum imitari contendit. Senex autem pro viribus puerum id ne faciat deterret: «Vitam meam, mi puer, tolerare non poteris». Sed adeo vehementer adolescentulus precibus obsecravit ut senex puerile illud studium ac voluntatem unum dumtaxat diem tentandi consilium inierit.

1. Interpretatio ex opere «El valor divino de lo humano» a J. Urteaga exarato, Edit. Patmos, 4.^a ed., Madrid, p. 240-242.

Idcirco precando Deum nocturna tempora consumpserunt. Postridie ante lucem e monte ad cotidianum improbumque laborem cum asino lignis onusto descenderunt. Uterque certatim navavit operam, nempe senex et puer. Opere diei confecto more solito iterum in montem conscendere incipiunt.

Clivus autem anhelitum movet adolescentulo qui defatigatus incedit senique subridet. Interdum puer pedibus in via male impositis decidit gemitum imo pectore temperans atque coërcens; humo sese levat, pulverem discutit e pera, vestigia senis persequitur.

Nunc vero pellucidus fons oculos adolescentuli pellicit ad frigidum haustum placidamque requiem invitans. Puer et aquam et senem contempletur.

— «Si senex non bibit, et ego bibam?».

Parique haesitatione vir excruciat.

— «Sitim meam, Domine, restinguam, an non? Ni prius ipse bibero, puer nequaquam bibit».

Ejusque animus vacillat utrum ad austeritatem an ad indulgentiam se inclinet. Nam una alteri locum cedere necessario debet...

Tandem vincit amor.

— «Bibam ut hic bibere audeat»...

Et senex labris tetigit fontem et aliquantulum aquae hausit. Tunc puer prae gaudio laetabundam vocem edens in aquas studiosissime sese projecit.

Nunc vero ambo placide ad fontis umbram et frigus requiescunt. Vir autem secum cogitat:

— «Hodie quoque mihi arridebit stella?».

Valde timens senex paulatim ad nubes oculos sustulit. Et in caelo, illo quoque die, duae nitidissimae stellae refulgebant...

M. MOLINA, C. M. F.

SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

Cl. v. MODERATORI COMMENTARII c. t. PAIDEIA. *Genuae*. — Optimum sane factu quod voluistis commentarios nostros dono ultro citroque mitti. P. Molina gaudet cum videt narratiunculis, quas in PALAESTRA ADULESCENTIUM edidit, adeo vos delectari ut in vestro libro referantur.

A. ALBERT. *Brixiae*. — Gratum animum de exemplaribus lucubrationis tuae separatim excusis benevole excipimus. Iterum tua eduntur. Quae de clis. Hispaniae scriptoribus et filiis scribis utinam tecum et alii sentiant.

Cl. v. TH. CIRES. *Mediolani*. — De opusculo tuo est tibi gratia; et nos quoque gaudemus quod «acutum iudicium» in Bibliographia prolatum tibi placuit.

PROF. Dri. J. MORAB. *Messanae*. — Litteras tuas, clme. vir, valde amamus, sed carmina tua suaviora nobis sunt. Interpretationes, quas mittis, et carmina suo tempore in vulgus emittentur; hodie tuis «fructibus» perlegentes oblectamur.

Cl. FEMINAE PROF. GERT. AUE. *Monaci, in Bavaria*. — «Paululum exspectabas me delectatum iri» scriptiuncula alumnae tuae *Reginae*; sic delectatus ut in PALAESTRAM ADULESCENTIUM illam inscriberem; fac ita linguam Latinam alumnas doceas.

PROF. LEONAR. LATKOV. *Ludovicopoli (Louisville, U. S.)*. — Video te non modo joca leporesque alumnorum legere sed etiam ex his singularem capere voluptatem. «Cantus populares Latvienses» e patria tua edendos curabimus.

JOS. BRASER. *Vallibus*. — Stilum saepe vertas; vis Aristarchus tibi fiam? Operam tuam amo. Bene facis quod Horatii insequeris vestigia. Scribas oportet «sanc-tus, redemp-tus», cet. «Ubi in medio vocabulo tres consonantes vocalem sequuntur, ex eodem usu recepto prima et secunda ad priorem, tertia ad alteram syllabam pertinent. Quare distributio hoc modo fiet: *sump-serunt, sanc-tus, temp-tare*, etc.» (*Leges in scriptis Pontificii Instituti Biblici servandae*, Romae, 1913, p. 12; cfr. etiam NIEDERMANN, *Phonétique hist. du latin*, § 103). Sunt tamen qui aliter sentiant et scribant, quos tamen non imitandos censuerim.

Dri. A. GUER. *Salerni*. — Propediem tua foras emittemus. Tuam, qui legent, elegantem elocutionem Latinam, magnopere delectabuntur.

Dri. BONAMICO ACTENSI. *Hartfordiae Connect.* — Scripta tua evulgavimus; ut autem tu ipse significaveras locos excerptimus; alios pressius adstrinximus. Accepistine exemplaria ad te jam pridem missa?

PER ORBEM

VIII Congressus Internationalis ad Studia Romanica Promovenda.

— Ut superiore PALAESTRAE fasciculo nuntiavimus, indicem lectoribus referimus earum rerum, de quibus in proximo Congressu ad studia Romanica promovenda Florentiae, in Italia, congregando, agetur. In matutinis conventibus haec argumenta evolventur atque disputabuntur:

Prof. BENVENUTO TERRACINI (Torino): Funzione del bilinguismo.

ALWIN KUHN (Innsbruck): Lingua e dialetto.

CHARLES BRUNEAU (Paris). Della dottrina grammaticale e della tradizione retorica.

LEO SPITZER (Baltimore): L'azione innovatrice dell'individuo.

Quorum lucubrationes typis mandabuntur atque singulis congressui adstantibus distribuentur ut disputationes ordinatim et utiliter procedant.

En aliorum argumentorum index quae in serotinis conventibus disputabuntur:

C. BATTISTI (Firenze): Le origini della lingua friulana e il patriarcato di Aquileia.

R. BRUMMER (Rostock): L'importance de la prose dans la formation de la langue littéraire catalane.

A. CARNOY (Louvain): Origine de divers substrats romans en *-ax*, *-ex*, *-ix*, *-ox*.

A. CASTELLANI (Fribourg): Le problème des Serments de Strasbourg.

W. TH. ELWERT (Mainz): Problemi di bilinguismo visti da un bilingue.

M. ME HOUTH-BALTUS (Mirande): Arrosès, Rozès, essai d'explication.

J. LOHMANN (Freiburg - Breisgau): Das Vulgärlatein als symbolische Denkform.

R. LORiot (Dijon): Le francien et l'origine du français.

G. B. PELLEGRINI (Pisa): Osservazioni lessicali a testi franco-veneti.

M. SANDMANN (Mona, Jamaica): La syntaxe verbale et le style épique.

S. SKERLJ (Ljubljana): Osservazioni sul carattere popolare o dotto che sia, dei costrutti del tipo: *giunto che fu*, *bello com'è*, e simili.

V. Väänänen (Helsinki): Métaphores raieuses et métaphores ressuscitées.

I Congressus Hispanicus ad Studia Classica provehenda. — Omnes cognitum habent quantum extremis quindecim annis studia classica apud Hispanos feliciter excitata sint et convaluerint, opera et studio egregiorum Magistrorum et Professorum, et quo modo, ut singulorum conatus et labores in unum jungantur, «Consociatio Hispanica Studiis Classicis provehendis» duos abhinc annos creata sit. Quae Consociatio magnopere studia classica apud nostrates fovet eisque, qua praedita est auctoritate, suffragatur. Ut autem id quod intendit melius assequatur non modo socios, verum etiam omnes litterarum classicarum cultores convocat ad Congressum Matriti, mense Martio, a die 19 ad 23 habendum, ut ea quae jam facta sunt recenseantur quidque in posterum faciendum sit perpendatur et disputetur; ac pariter vincula consuetudinis inter viros doctos instituantur aut artius jungantur. Praecipua etiam dabitur occasio ut impedimenta, quae studia classica hodie ubique praepediunt in hoc rerum discrimine, penitus removeantur.

In duas partes seu «sectiones» argumenta in Congressu discutienda dividuntur hac ratione:

Sección primera

1. Problemas suscitados por el desciframiento del micénico.
2. La lírica griega a la luz de los descubrimientos papirologicos.
3. Helenismo y cristianismo.
4. Marcial.
5. Problemas históricos y arqueológicos del siglo III d. de C.
6. El latín medieval español.

Sección segunda

1. La pedagogía de las lenguas clásicas en la Enseñanza Media.
2. La pedagogía de los estudios clásicos en la Enseñanza Universitaria.
3. Los estudios clásicos en la enseñanza española actual: Problemas y soluciones.

«Consociationis Hispanicae» Praeses, Dr. A. Tovar, Congressui aderit illumque ut Praeses moderabitur, quod certe erit faustum exitus augurium.

Consilium (seu «commissio») operibus Philologiae Classicae edendis. — Ex sententia Administris a Publica Institutione, Excmi. Dni. J. Ruiz Giménez, Consilium conditum est operibus philologiae classicae edendis. Viri qui Consilio intersunt, praeside Rectore Generali Institutionis Universitariae Dre. Pérez Villanueva, sunt praefecti Scholarum Philologiae Classicae Universitatis Salmanticensis (Dr. A. Tovar), Barcinonensis (Dr. Bassols), Matritensis (Dr. Rodríguez Adrados), qui curabunt ut collectio Hispanica Scriptorum Classicorum pareatur atque evulgetur. Utinam hoc praecipuum atque necessarium opus quantocius perficiatur, erit namque monumentum aere perennius quod clmi. viri litteris classicis ac patriis erigant.

Inventa Archaeologica. — Ex novis effossionibus in lucem prodierunt maximi momenti inventa archaeologica quorum praecipua referimus:

a) Gerundae in Hispania, apud Cathedralem prope locum *Portal de San Cristóbal*, femineum capitis signum inventum est, idque simillimum illi simulacro quod «*Dama de Elche*» nuncupatur. In basi litterae Graecae et Ibericae sunt inscriptae. Si Graecae litterae Ibericam inscriptionem referant, signum magni ponderis locum obtinebit, velumque quo primigeniorum Hispaniae incolarum cultus atque humanitas adhuc obscuratur, subito rescindi poterit. Nondum tamen iudicium ferre licet cum adhuc res sapientium investigationibus subsit.

b) Sancti Baudilii de Rubricato (*Sant Boi de Llobregat*), ad Barcinonem, thermae Romanae fere integrae detectae sunt, atque rudera et vestigia vetustae urbis, quae forsant antiqua «*Rubricata*» sit. Novarum effossionum magnitudo ac pondus apparet si cum effossionibus recentibus priscae Baetulonis (*Badalona*) conferantur, de quibus cfr. PALAESTRA LATINA, 25, 1955, 110. Prope thermas, quas diximus, musivum magnum (ad 40 m.²) repertum est, eleganter ex tessellis seu fragmentis albis nigrisque confectum quae crucem «svasticam» seu «gammatam» repraesentant.

c) Die 30 m. dec. anno 1955 et d. 2 et 3 m. januarii hujus anni duae femineae statucae Emporiis effossae sunt, quae ut Dr. Almagro opinatur, inter hermas funerarios sunt connumerandae. Utraque statua ad saec. II p. Ch. n. referenda videtur. Caput femineum quod paulo ante Emporiis repertum est, speciem Agrippinae imperatricis refert, ut eruditi opinantur.

d) Ad Baetulonem (*Badalona*) prisca moenia Romana reperta sunt, quorum usque modo viginti tantum metra excavata sunt. Juxta oram, quam Romanum mare tum adluebat, ut ex arena deducitur, fortasse II a. Ch. n. saeculo exstructa fuerunt. Magna novorum moenium inventionis praestantia cum quid primigenium habeant quod nullibi in Catalaunia invenies.

e) In regione Urbis Veteris (*Orvieto*) in Italia in lucem prodierunt 12 sarcophaga Etrusca quae ad varias aetates cultus Etruscorum pertinent. Hae inventiones ab archaeologicis inter praecipuas recensentur.

In Necropoli «di Cerveteri» in Italia inventi sunt tumuli, qui saeculo VI a. Ch. n. a doctis adscribuntur.

Religi6n y Cultura. — Ab Alumnis Sancti Augustini denuo in lucem eduntur hi commentarii, qui bello Hispanico e medio sunt sublatis. Quod vehementer gaudemus, nam et optimam clarissimorum virorum doctrinam discemus, et illius maximi Doctoris atque egregii Magistri litterarumque cultoris, D. Augustini, speciem in dies magis illustratam percipiemus.

Societas Latina. — Commentarii illi qui etiam nunc in prima acie cultorum linguae Latinae versabantur, temporum injuria non amplius in lucem edentur. Dolendum sane quod extinguantur; at lugendum potius quod in tanto discrimine litterae Latinae in Germania et alibi versentur ut Commentarii in quibus de rebus Latinis agitur, subnotatorum scriptorumque defectu pereant. «Tu quoque Germania ferax»... Faxit Deus ut ita linguae Latinae cultus floreat et augeatur usus ut *Societas Latina* denuo in vulgus emittatur.

Congressus Linguae Latinae usu vivae reddendae, Avenione congregandus. — Avenionem, a. d. III non. Sept., multi novae Latinitatis studiosi convenient ut quem locum tenere debeat sermo Latinus in omnium gentium commercio investigent, et quo modo Romanorum lingua, sermo usu vivus inter viros doctos reddatur.

Argumenta evolvenda sunt: «De grammatica Latina» disseret Joan. Bayet, Romae, Scholae Gallicae (*École Française*) Rector; «de pronuntiatione linguae Latinae» aget Prof. Burck (Universitatis Chiloniensis-Kiel), Prof. vero Godwinus Beach (*Bonamicus Actensis*), U. S. A.. «de paedagogia in edocenda lingua Latina»; «de vocabulario» tandem disputabit cl. v. G. Pacitti (ab Actis Instituti Studiis Romanis provehendis). Ab Actis Congressus munere fungitur Dnus. *Musée Théodore Aubanel, 7, Place St. Pierre Avignon (France)*.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

COLLECTANEA

Litteras et studia linguarum classicarum in discrimine versari multi sunt qui dicant, neque temere. In Germania enim et in Gallia cum de reformandis studiis Scholae, quae dicitur, «Mediae» agitur, lingua Latina et Graeca aut penitus posthabentur aut earum studium et honor in periculum adducitur. Quod vehementer dolens V. E. Hernández Vista, ita notulas de reformatione studiorum in Germania absolvit:

•Tal es el planteamiento del problema. Como se ve, el latín cuenta con muchos tantos; pero seguramente perderá... por ahora. Al parecer el Occidente piensa que su superioridad reside en su técnica; necesariamente tal superioridad no puede ser vitalicia; de hecho Europa la ha perdido ¿Qué tendrá entonces que ofrecer al mundo? Naturalmente, en el momento de la crisis la salvación estará en la

vuelta a los orígenes. Y volverá. Pero en estos momentos contemplamos la invasión de los pueblos occidentales por sus propios bárbaros y la llegada de éstos a las palancas del mando: las masas medias, modestas y obreras a las que la técnica dio bienestar nunca soñado, sin que el humanismo clásico tuviera tiempo de incorporarlas a su cultura» (*Estudios Clásicos*, III (1955), 233).

Re tamen vera sub discrimine litterarum classicarum altior quaestio latet ac de sublimioribus rebus controversia celatur, in periculum nempe vita spiritûs seu «spiritualismus», ut ajunt, adducitur, ut callide asserit P. Tejedor S. J.:

«¿Se puede hablar de verdadera crisis del humanismo clásico greco-latino en el mundo? De hecho se ha hablado y se sigue hablando. Si ahondáramos en el problema, llegaríamos tal vez a la conclusión de que no se trata sólo de humanismo clásico o humanismo moderno... ciencias o letras... sino de algo más hondo y más sustantivo en el hombre — *espiritualismo* o *materialismo* —. No conviene olvidar que los

valores formativos del humanismo clásico son estético-intelectuales —o lo que es lo mismo espirituales— y que en el humanismo, lo informativo (datos), es notoriamente inferior a lo formativo... Si hay crisis, no es sólo del humanismo clásico, sino de todo humanismo, como del espiritualismo» (*Humanidades*, VII (1955) 298).

AE. LORENZO, in commentariis, quibus est index «Arbor», quaestionem agitat quae omnibus utilitati esse potest. Argumentum commentationis est: «*El Anglicismo en la España de hoy*», in eaque quaerit quo modo perpendenda sit haec vocum Anglicarum in linguam Hispanicam velut irruptio, quae ex praepotenti influxu cultus anglo-americanus emanat. Influxus linguae Graecae in Latinam et linguae Arabicae in Hispanicam commonstrant hos influxus in linguas non semper detrimentum inferre neque omnino rejiciendos esse. «Meter palabras nuevas, haya o no otras que las reemplacen, es meter nuevos matices de ideas» asserit cl. auctor, verba M. Unamuno proferens (p. 264); ac postquam quasdam voces, quae ab omnibus accipiuntur et probantur, protulit, addit:

•Vemos por estos ejemplos que es posible dejar paso libre a cualquier expresión extranjera que venga a añadir un matiz nuevo a otra nuestra, que por las especiales características

de sus contornos semánticos no rija plenamente en el terreno específico en que aquella pretende instalarse» (p. 265).

Verba igitur aliena non ideo sunt rejicienda quod aliena sunt, tum praesertim cum nova quaedam exprimunt quae in patria lingua propria voce carent. Majoris ponderis sunt non nova verba sed novae locutiones quae syntaxin afficiunt atque ad intimum elocutionis modum pertinent:

•Uno de los usos que más perturban el ritmo oracional del periodo español es la tendencia a colocar el sujeto —lo mismo en las

oraciones principales que en las subordinadas — *siempre* en primer lugar» (p. 268).

Lucubrationem ita cl. scriptor claudit:

•Frente a los extranjerismos idiomáticos de todo orden, el peligro no estriba en dejarlos entrar, sino en el riesgo, que creemos infundado, de que la lengua acreedora no sepa rechazar lo superfluo ni depurar y encasillar lo necesario o fértil en su sistema... La actitud que se debe adoptar en la actualidad frente a la irrupción de anglicismos no debe estar inspirada en el temor ciego e inconsciente de las víctimas pa-

sivas de una inundación, sino en la confianza inquebrantable de que los cimientos de nuestro edificio idiomático son firmes y de que los esfuerzos y el poder creador de nuestros escritores constituyen sólidos muros de contención que luego canalizarán la corriente invasora para fecundar el idioma» (p. 272-273, *Arbor*, XXII (1955), p. 262-274).

PHILOSOPHIA ET PHILOLOGIA

Cum verba res exprimant prout mente concipiuntur, philologia, quae verborum origines quaerit, valido adjumento esse potest philosophis ad cognoscendum quid et quo modo homines de rebus senserint ac sentiant. Quam ob rem hodierni philosophi methodum, quam philologicam dicimus, magni faciunt. At solum modo hodierni hac methodo utuntur? Id L. Aranguren opinatur asseritque veteres Scholasticos eam prorsus ignorasse, atque hortatur aequales Scholasticos ut philosophiae obsequantur, philologiam et etymologiam ampliore modo adhibendo. Cui cl. P. Iacobus Ramírez, O. P. respondet idque alienum a vero plurimis argumentis commonstrat.

•El método de la etimología, y en general el uso de la filología es muy útil para la filosofía, sobre todo cuando se integra y se conjuga con la lexicografía, y cuando se sabe estimarlo en lo que verdaderamente vale sin exclusivismos ni exageraciones... Pero el uso ponderado y certero de ese método no es propio de los tiempos actuales, sino que era corriente en los tiempos pretéritos. El caso de Santo Tomás es uno de los más auténticos.

El latín y la Escolástica no son incapaces de hacer filología. Lo que pasa es que hoy día se la domina menos y no se la vive, ni siquiera por los escritores sedicentes doctos e ilustrados. — La Escolástica moderna tiene una deuda que pagar en este terreno...; pero es mucho mayor la de los modernos respecto de la Escolástica, que consiste en conocerla mejor y en no acusarla ni condenarla sin oírla» (*Arbor*, XXXII (1955), 213-234).

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

CHARLES ROSSET. — *Exercices Latins. Morphologie, Éléments de Syntaxe. Classe de Sixième. Les Éditions de l'École; 11, rue de Sèvres, Paris-VI; 1955.*

Lepidum hoc volumen primum in nova «Exercitationum Latinarum» serie, quae duplici studii tenore concipitur: id est, psychologiae experimentalis ad paedagogiam et usum disciplinae Latinae linguae aptatae omnibus scholis secundariis, via vero ac ratione cyclica vel simul facta.

Conversiones, themata, exercitationes sunt quasi libri hujus subtemen. Quae quidem ab inclito scriptore collecta, disposita evoluptaque paedagogica sane via ipsemet comperies. Liber autem tota typographica arte totaque ratione psychologica dispositus maximo, ni multum fallor, profectui litterarum Latinarum alumnis erit, qui tanquam manu ducti facillique pede atque animo hilari in Classicorum linguae sanctuarium ingredientur

Maxime hujus modi operis praefatio commendanda ubi praeclarus vir Charles Rosset, altius de fundamentis paedagogiae Latinae linguae in «Infima» [«Sixième»] disserit multaue profert, eaque maximi ponderis, de progressu in libro exercitationum, de natura propositarum exercitationum, de vocabulario. Multicolores tabulae librum decorant, quae animum puerorum certo allicient et disciplinam faciliorem reddent. Toto quidem plausu opera scriptoris in commodum Latinitatis alumnorum est laudanda.

P VERGILIUS MARO. — *Aeneis*. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Volumen hoc inter Heimeran Textus adnumeratur, quod a claro viro, Johanne Goette, litterarum Latinarum Professore, editum est. Agitur, ut operis titu-

lus innuit, de nova editione praeclarae illius Aeneidos, a Publio Vergilio Marone, caelesti numine afflato, divulgatae in provincia classicae Latinitatis.

Duodecim magni poematis cantus uno sibi tenore succedunt (pp. 5-281). Arte vere typographica liber apparet, cui chronologica tabula de praecipuis historiae Romanae eventis annectitur, una cum brevi notitia de ratione vitae atque operum poetae Mantuani (pp. 281-283). Perbelle illo sepulcri Vergilii elogio scriptor libro imponit finem: «Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc Parthenope; cecini pascua, rura, duces».

A. ALBERTINI. — *Calurnio Bresciano. - La sua edizione di Catullo (1481) Tipolito Fratelli Geroldi. Brescia, 1954.*

Hoc historicum litterarium opusculum quasi commentariorum summa est, quae in «Ateneo di Brescia», anno 1953, ab inclito collega A. Albertini prolata sunt. Est brevis quidem notitia magno ingenio studioque exarata, de arte critica textus Libri Catulli Veronensis atque in primis «emendationis» catullianae. Quinquaginta admodum pagellis tota elucubratio, ante prolata ore, nunc vero scriptis data, perficitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Marci Tulli Ciceronis Epistularum ad Quintum fratrem libri tres, Quinti Ciceronis «commentariolum petitionis». — Recensuit Humbertus Moricca, post ejus obitum editionem curavit A. Moricca-Caputo. In aedibus Paraviae et Sociorum, 1955.

Hoc novo commodoque opusculo ornatum est «Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum», de litteris Latinis adeo bene meritum. Ex una vero inscriptione libri materles vel argumentum patet. In praefatione (pp. V-XXI) totam de codicibus notitiam praeclarus scrip-

tor vestigiis autem clarorum virorum O. E. Schmidt et . A. Lehmann ingrediens perscrutatur

Codices epistularum Ciceronis ad Quintum fratrem, ita auctor, iidem sunt atque illi, quibus epistolae ad M. Brutum et ad Atticum nobis traditae sunt. Qui codices omnes, prout ex Italia aut ex Gallia et Germania oriundi sunt, in duas familias discedunt, scilicet cisalpinam et transalpinam

En vero tibi conspectus rerum, quae in hoc volumine continentur: Praefatio (pp. V-XXI); Testimonia de Tullianis epistulis ad Quintum fratrem (pp. XXII-XXV); Index librorum quibus in opere contexendo usus est scriptor (pp. XXVI-XXVII); Verba Graeca quae in epp. ad Quintum fratrem continentur Latinis expressa (pp. XXVIII-XXX); Tabula chronologica (pp. XXXI-XXXIII); Conspectus siglorum (pp. XXXIV-XXXV); Epistolae ad Quintum fratrem (pp. 1-98); Quinti Tulli Ciceronis Commentariorum petitionis (pp. 99-123); Index nominum (pp. 125-132).

Oratorum Romanorum Fragmenta liberae Rei Publicae Iteratis curis recensuit, collegit Henrica Malcovati. In aedibus Paraviae, 1955.

Ex ipso huius voluminis titulo facile et argumenti patet summa. Clara ejus modi editrix, emerita Latinarum litterarum magistra, illi quidem voci providit: «Colligite fragmenta» Cui vero rei consequendae maximo studio curaque, ut notum est, eidem opus fuit.

En tibi libri brevis conspectus, qui et magistris in primis commendandus. Propositum in praefatione, huiusque alterius editionis a priore differentia, paucis omnino proponuntur (pp. V-VII). Consequitur titulus «Compendia», ubi adminiculorum in opere conficiendo recensentur «abbreviationes» (pp. IX-X). Tum conspectus editionum quae in fragmentis recensendis adhibitae sunt et notae codicum (pp. XI-XIX).

Voluminis autem corpus constituunt 176 oratorum nomina cum fragmentis quae unicuique, certe vel dubie, adscribuntur (pp. 1-534). Magna ibi scriptorum rerumque copia ac varietas. Apparatus criticus accuratus et ad hoc tempus instructus perductusque comode apparet. Indice oratorum opus (pp. 535-539), atque indice M. Porcii Catonis (n. 8) fragmentorum in hac editione cum priore comparata (pp. 541-542) completur.

I. GONZÁLEZ C. M. F.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F. — *La Traducción Latina*. Páginas de la Revista de Educación. Madrid, 1955.

De his omnibus agit clarus scriptor, in Universitate Salmanticensi egregius Latinarum Litterarum professor, in leptido opusculo, quae discipulum quasi manu ducere possunt ad Latinam linguam rite in patriam atque patriam in Latinam convertendam. Studium de re cum solidum tum eruditum et scitum, quo singuli fere in utramque sententiarum partem loci perstringuntur. Tres vero in partes totum bene dispescitur opus. I. De «interpretatione» universe (pp. 5-26). II. De «interpretatione» proprie dicta (pp. 27-52). III. De versione Latina (pp. 53-71).

Prima autem in libelli parte, sermo est de «interpretationis» (traducción) notione ejusdemque generibus; de utilitate et efficientia interpretationis Latinae; de interpretatione litteraria. Quibus non nulla innectuntur ab scriptore de interpretationis Latinae in usu difficultatibus. Altera in parte fusius disputat Latinitatis Magister de textus intelligentia; de lectione; de analysi; de vocabulario. Quibus penitus enucleatis, aliqua afferuntur de interpretatione textus; de textus fidelitate; de scientia atque arte aethetica. Tertia denique in parte, agilis movetur quaestio de iugl necessaria exercitatione; de versionis qualitatibus; de objectionibus contra versionem; de versionis perspicuitate et castigatione; de his quae claves nuncupantur usu.

Maxime Latinitatis alumnis hoc opus commendandum omnibus in comperto est.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Fabularum Atellanarum Fragmenta. — Recensuit Paulus Frassinetti, In aedibus Paraviae et Sociorum, 1955

Aliud scitum, idque maximae artis criticae, volumen Collectionis illius, cui Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum nomen. De harum vero litterarum reliquiarum historia atque momento praecipua in praefatione a claro scriptore P. Frassinetti disputatur (pp. V-XVI). Consequitur index siglorum Nonianorum, quae in volumine adhibentur (pp. XVII) Atque editiones, praeter Nonianam, cum suis siglis adhibitae (pp. XVIII XIX). Denique index Philologorum qui in notis saepius nominantur (pp. XX XXI).

Textus deinde Fragmentorum, cum accurato critico apparatu, uno tenore sic discurret: L. Pomponius Bononiensis (pp. 1-46); Novius (pp. 47-76); Aprissius (?) (p. 77); Mummius (pp. 78-79); L. Cornelius Sulla (p. 80); incerti nominis reliquiae (pp. 81-84). Atque totum clauditur opus laborioso conspectu numerorum hujus et Ribbeckinae editionis (pp. 85-93).

Libellus litterarum Latinarum magistris, nimiae cum sit eruditionis momenti minoris, videtur commendandus. Eo tamen perbelle Collectio Scriptorum Latinorum et completur et ornatur.

Recueil Max Niedermann. — Neuchâtel, Secrétariat de l'Université, 1954. Imprimerie Paul Attinger, S. A.

Ex ipsa operis fronte propositum dignoscitur: De collectione praecipuorum operum illius maximi philologi, cui nomen Max Niedermann, agi in promptu est. Admirandi dilectionisque in signum, magistro iam jam annum vitae octogesimum agenti, Facultas Litterarum in Universitate Neoburgensi hoc volumen dedicatum voluit. Sed, res lu-

genda, magister oculis opus vidit nullum, cum aliquibus ante editionis diebus e vita placide migraverit.

Nullae tamen in hoc volumine lucubrationes de linguis Slavica et Baltica, quibus maxime praeclarus vir M. Niedermann studuerat. Quae in alio, ut aequum est, volumine lectoribus delibandae mox ut appareant in votis est.

Biographiam scriptoris summariam videsis, in pagella octava libri; argumentorumque sic ratio ibi tractatorum Linguistica generalis: De linguarum «interpenetratione» (pp. 9-27). De lingua Latina vulgari: non nulli nostrarum cognitionum fontes de pristina Latina lingua vulgari (pp. 29-64); glossae medicae Libri glossarum (pp. 65-136). Explicatio et iudicium non nullorum textuum Latinorum, praecipue de re medica (pp. 137-208) Epigraphia: De inscriptione columnae rostralis Duilli (C. I. L. I² 25) (pp. 209-220); notulae de Cognomine Latino (pp. 221-228); notulae de Inscriptione metrica Latina apud Vojvoda inventa (pp. 229-236). Toponymia: Munimentum prope Basiliam, quod appellant accolae «Robur» (pp. 237-247); de loco nativitatis Sancti Hieronymi (pp. 248-251); de toponymia Illyrica antiqua (pp. 252-257); notula de toponymia Gallica: *Craon* < *Cracatonnum* (pp. 258-268).

Denique hujus modi consentanea operis corona, aliquae exstant pagellae, quae cursus bibliographicus in annos sunt, ab anno 1897 ad 1954 usque, omnium lucubrationum linguistarum et philologarum ab inclito viro M. Niedermann exaratarum (pp. 269-286) Quae scita «Niedermannica Collectio» finitur indice «abbreviationum» in bibliographia usitatarum (pp. 287-288); Doctoratus thesibus sub directione magistris exaratis (p. 289); indice vocabulorum atque formarum (pp. 291-306); indice rerum (pp. 306-309); indice locorum dubiorum vel emendatorum (pp. 309-312); tabella tandem operis totius mathematicarum (p. 313)

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

RICCARDO DA BURY — *Philobiblon*, Edizione critica a cura di Antonio Altamura con VIII tavole fuori testo. Fausto Fiorentino, Napoli, 1954.

Post varios editorum conatus, in primis vero in Gallia, Anglia, Germania, nunc Italus Doctor A. Altamura, vir philologiae mediae aetatis et humanistica valde eruditus in vulgus hanc editionem criticam dedit libri *Philobiblon*, Richardi de Aungerville cognominati de Bury Episcopi Dunelmensis.

Quod ad formam attinet, liber est «propria» elucubratio aevi mediæ, quae quidem maximo opere confert ad cognitionem linguae Latinae eorum temporum. Ex quo magna semper fuit in sapientium aestimatione atque studio. Libri autem inscriptio valde convenit cum scriptoris studiis, librorum et codicum plane cupidus avidusque emptor, ut de ejusdem bibliotheca scriptum maneat: «Quinque magnae carectae non sufficiebant pro ipsius vectura librorum».

Propositum vero scriptoris satis in Prologi fine ostenditur: «Qui tractatus amorem quem ad libros habuimus ab excessu purgabit, devocionis intentae propositum propalabit et circumstantias facti nostri, per viginti divisus capitula, luce clarius enarrabit. Quia vero de amore librorum principaliter disserit, placuit nobis more veterum Latinorum ipsum greco vocabulo *Philobiblon* amabiliter nuncupare».

Placet hic priorum capitulorum conspectum dare. I. Quod thesaurus sapientie potissime sit in libris. II. Qualis amor libris rationabiliter debeat. III. Qualiter in libris emendis sit pretium estimandum. IV. Querimonia librorum contra clericos jam promotos. V. Querimonia librorum contra religiosos possessionatos. VI. Querimonia librorum contra religiosos mendicantes. VII. Querimonia librorum contra bella.

Sic libri vere auri «incipiunt capitula». Nihil addam, ne prolixior fiam, de editoris cura et studio ad fidem textus deveniendi, quam per quinquaginta fere

manu scripta, in vetustioribus bibliothecis, cum Europaeis tum Americanis dispersa, accurate inquisivit. Sed haec hactenus Tota certe voluminis hujus ratio omnino commendanda.

THEO HERRLE. — *Kulturkunde im Aufriß*. Einführung in die Geschichte, Gesetze und Zusammenhänge der Kulturerscheinungen. Franz Sopper, Wolfsburg, 1954.

Homo hujus aetatis, bonis omnibus terris allatis oppressus, memoria vero multorum saeculorum onustus, atque duobus bellis maximis perterritus: nonne vires culturae maximae se ipsae deliturae sint, calamitate doctus, quaerat? Itaque investigandum est, quibus fundamentis cultura nixa sit (I, 1); quid sit cultura et quibus legibus aucta sit (I, 2); quomodo a primis initiis ad tantam molem creverit (I, 3).

Culturam autem ex quinque fundamentis facile apparet: societate, oeconomia, religione, scientia, artibus. Quae quinque fundamenta, qualia sint, primum acriter et exacte definiuntur; deinde origo indicatur; tertium finis demonstratur, quem adipisci possunt; denique vitium, quo finem transgrediuntur, describitur.

Libello operam dare eis commodum opusque erit, qui his gravissimis temporibus conantur, ne cultura se ipsa deleat.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

L. FEDELE. — *Mercati e Piazze antiche*. Storia ed Architettura. Settantaquattro figure. Fausto Fiorentino, S. Anna del Lombardi, 33.

Liber hic est de Historia et Architectura antiqua, praecipue vero apud Graecos et Romanos populos. Opus arte typographica numeris omnibus absolutum, quod et Latinitatis studiosis maximo opere erit commodo et aestimatione, utpote ad maniculum facile ad alia studia et complenda et amplificanda. Res enim externa potius animos quasi perstringit et demulcet.

Ex uno operis indice lector in cognitionem benevolam veniet. De macello ejusque origine (pp. 9-22). De ἀγορά (pp. 23-31). De ἀγορά Atheniensis (pp. 33-39). De praecipuis ἀγορά: Mileti, Magnesiae, Corinthi, Cyrene (pp. 41-60). De porticu macelli Graeci (pp. 61-68). De pristinis macellis Aegyptiis (pp. 69-74). De macellis Phoenicis in Africa: Lepti Magna, Carthagine (pp. 75-90). De macellis Italis (pp. 91-101). De foro (pp. 103-104). De foro communi et foro urbano (pp. 105-106). De horreis (pp. 109-114). De macellis Romae (pp. 115-136). Macellum (p. 137). Macellum Neronianum (pp. 137-141). Macellum Trajanum (pp. 141-157). Macellum Puteolanum (pp. 159-168). De Macellis Graecis Romanis Neapolitani (pp. 169-173). Forum et macellum Pompejanum (pp. 175-200). Bibliographia (pp. 201-202).

Uno verbo, agitur de opere arte elaborato, modo quidem et artificioso expresso.

A. CARETTA. — *Laus Pompeia (Lodi Vecchio) e il suo territorio*. Milano, Casa Editrice Ceschina, 1954.

Hic libellus, cui inscriptio «Laus Pompeia», fasciculus sextus est in nobili collectione «Quaderni di Studi Romani a cura della sezione lombarda dell'Istituto di Studi Romani». Et perbelle illa huic libello vox, tamquam lemma, praet: O patria excellens, propria hinc tibi surgit origo Romulea de gente ferens et sanguine nomen (M. VEGIUS, *Pompeiana*, 229-30).

Agitur autem de quaestione in provincia scientiae historicae admodum accurate perpensa. Laus Pompeia, ad XV usque saeculum, quasi in mythis habita fuit. Ex eo vero tempore historici jam dicere potuerunt: A fabulis ad facta veniamus...

Clarus vir A. Caretta tanquam ab ovo, rem totam hoc in libello disputat, non nulla de historia originum Civitatis praemittens (pp. 9-13). Duobus quidem partibus tribusque appendicibus opus

commode absolvitur. In prima vero parte agit auctor de praehistoria; de historicis ab urbe condita ad occupationem Longobardorum vicissitudinibus; de municipio; de Christianismo (pp. 15-46).

In altera, de territorio municipali; de viciis; de civitate: viciis arbanis, portis, foro, muris aliisque aedificiis (pp. 47-70). Denique in appendicibus, de Ciceronis epistula: *Q. fr.* 2. 13; de rebus affabre effectis in urbe; et de agri centuriatione (pp. 71-79). Non nullis,isque lepidis pictis tabulis libellus definitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

OTTO SCHOENBERGER — *Lateinische Phraseologie*. Carl Winter — Universitätsverlag Heidelberg, 1955

Vere «Thesaurus locutionum» est liber, quem in usum commodumque Latinitatis discipulorum exaravit clarus scriptor O. Schoenberger. Quocirca eum maxime lectoribus «PALAESTRAE LATINAE» commendandum duximus: quasi puram putam Latinitatem facili in eo negotio reperient. Altera in columna Latina vox; altera vero Germanica interpretatio, ratione quidem scita nitidaque.

Quae nova «Phraseologia Latina» excusa est prae oculis habens auctor magnum illud opus: «Locutionum Latinarum Thesaurus», ab inclito litterarum Latinarum magistro H. Probst (5. Aufl., Koeln, 1878). Cui etiam magno fuere adminiculo «Collectiones» illae phrasium Latinarum a praeclaris viris Schmidt, Wickert, Meissner elaboratae.

Latinus sermo purus, fluidus: quin animus adeo constringatur in tornandis vocibus dicendique rationibus. Argumenta eadem fere quae aliis in hujus modi operibus: «Deus, religio, cultus, creatio, mundus; elementa, spatium, tempus; homo; vitales vires; labor, recreatio animi; spiritus, intelligentia, error, veritas; educatio, verbum, scriptio, ars, scientia», cet. Omnes fere sermonis usitati modi apte venusteque recoluntur.

Typographica expressio omnique plausu dignissima. Accuratus vocum Germanicarum Index usum libri perfacilem reddit. Quae omnia, ni multum fallimur, eum valde commendare nata sunt.

I. DEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

V. MARTÍ — *Jesús camino, verdad y vida, meditaciones evangélicas*. Editorial Balmes, 1954

Multi sane sunt homines qui his temporibus veram vitam christianam sincere peragere volunt. Quod ut assequantur optimos meditationis libros desiderant atque optant. Quem tibi hodie, lector, offerimus valde utilem iudicamus.

Meditationes omnes ad Jesu Christi Salvatoris vitam spectant, praeter paucas quae in fine libri adduntur de fine hominis.

Moderatio et claritas in dicendo sunt praecipuae hujus libri virtutes

JESUS ASPA, C. M. F.

DR. RUDOLF DUELL. — *Das Zwölfstafelgesetz*. Texte Uebersetzungen und Erläuterungen. Ernst Helmeran Verlag. Muenchen, 1953.

Praeit huic libello brevis, sed tamen scita atque diserta notitia de origine naturaeque illarum legum «Duodecim Tabularum», quae tanquam totius legislationis Romanae deinceps fundamentum ac norma sunt (pp. 5-12). Tum sequitur generalis harum legum genesis, cum textibus Pomponii, Livii, Taciti, Diodori, Dionysii, Ciceronis, Flori, Plinii Minoris, Augustini, Plinii, Strabonis eorumque translatione in linguam Germanicam (pp. 14-22). Deinde duodecim Tabulae cum interpretatione Germanica,

quibus fragmenta incertae sedis et fontium notitia adjunguntur (pp. 26-69)

Opus vero erudite clauditur non nullis grammaticis, historicis, archaeologicis explicationibus totiusque libelli rerum indice (pp. 73-100). Opus eruditio- nis in primis ideoque magistris Latinitatis vel etiam juris cultoribus commen- dandum.

TACITUS. — *Annalen*. Lateinisch-deutsch. Ed. Carl Hoffmann. Helmeran, Muenchen, 1954.

Argumentum hujus voluminis sunt duodecim libri Annalium Taciti, una cum Germanica eorundem translatione. Libri I-VI (pp. 6-462), et libri XI-XVI (pp. 462-849). Varias vero, eaeque momenti magni, appendices operi adjunguntur (pp. 850-929)

Volumen ponderosum atque concinnum. Ibi scilicet et alumni et magistri opus princeps maximi cujusque historico- rum Romanorum, C. C. Taciti, delibabunt. In appendicibus copiose ac diserte agitur a claro viro C. Hoffmann de Tacito ejusdemque litterario historico opere (pp. 850-860); de textu et translatione (pp. 860-862); de Taciti bibliographia (pp. 862-866). Neque desunt plurimae uniuscujusque librorum textus annotationes, grammaticae, historicae, geographicae, sociologicae, quae rem et declarant et penitus enucleare intendunt (pp. 867-891).

Summa totius operis commode opus coronat (pp. 892-896), cui quidem fastigium absolutissimo nominum propriorum indice (pp. 897-928) apponitur. Volumen hoc maxime commendandum in primis Latinitatis magistris aestimamus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. II — (FASC. I). — N. 5

M. MARTIO

A. MCMLVI

VISNE LATINE SCIRE? - LEGE

Sed inter scriptores, quisnam potissimum erit legendus? Nisi me meum fallit iudicium, nihil amoenius, generalius, splendidius eo dicendi genere reperies, quo Marcus Tullius, eloquentiae parens, usus est. Idque sive est in templis contionandum, sive in scholis docendum, aut in scriptis monumentisque ad memoriam sempiternam obsignandum. Nec religio tibi sit profanae eloquentiae principem in res christianas inducere. Quid autem de Deo, verbi causa, Deique proprietatibus, vel Platonem fefellit vel Ciceronem, quem Platonis interpretem et Latinum Platonem non immerito dixeris? Haec causa tibi sit Tullii nocturna diurnaque manu versandi. Sit et altera, latine scribendi ejus elegantia, cui nulla usquam alibi par aut secunda. Tibi certe multo majori et admirationi erunt et voluptati in Cicerone res quam verba, doctrinae incomparabilis praestantia quaedam, quam sermonis splendor et copia. Si vacat, omnes — omnium antiquorum et recentium, Plauti, Sallustii, Livii, Curtii, utriusque Senecae et Plinii, Taciti, aliorum— dicendi rationes diligenter expende, inter se compara, illumina, et in quodcumque latus volueris, converte.

PRAECEPTA VITAE INFORMANDAE

Obsecro vos, studiosi pueri, vosque ingenui adolescentes, per Jesum Christum, communem omnium nostrum praeceptorem simul ac Servatorem, primum ut bonis moribus, dein bonis etiam litteris operam detis, utrumque tamen ad Dei optimi maximi honorem referentes. Nemo enim prohibetur Christianam pietatem cum studiorum elegantia conjungere; sine Dei ope nihil usquam boni fieri potest. In memoriam revocate illud Michaëlis Cervantes: «Doctrina nulla nocet: nocet utique ignorantia» — «Ninguna ciencia, en cuanto ciencia engaña, el engaño está en quien no la sabe» (*Persiles y Segismunda*, l. 1, c. 13). Scientiam ergo cum pietate conjungito. Nam si secus, scientia non erit, secundum illud Ciceronis: «Scientia quae est remota a justitia, caliditas potius quam scientia est appellanda» (*De Off.* 1, 19, 62)

PAEDAGOGUS

DE HAENSEL ET GRETEL

Olim familia misera erat, magna inopia laborabat. Liberos Haensel et Gretel appellabant. Olim liberi in silvam festinabant, ut bacas et uvas ad cenam apportarent. Liberi errabant, quod viam rectam ignorabant. Vesper appropinquabat, silva nigra erat et liberi feras reformidabant.

Subito post pinos altas tectum parvum spectabant. Haensel et Gretel advolabant et se valde delectabant, nam tectum e crustulis erat. Magno studio crustula cenabant. Subito in porta tecti femina antiqua et foeda erat. Liberi timidi erant, sed femina antiqua lingua falsa vocabat: «Intrate, liberi cari et pulchri! Lectum album et semper crustula bona et pira et uvas dabo». Liberi linguae falsae obtemperabant et intrabant.

Sed vix in tecto erant, liberi spectabant quam mala et falsa femina esset. Gretel semper laborabat. Ab aurora ad vesperum Gretel aquam et ligna portabat. Femina antiqua et falsa Gretel non cibum bonum donabat et Gretel in terra dura dormitabat. Haensel autem femina foeda in caveam dabat, saepe vocabat: «Haensel, cena bona esto!» Itaque semper cibum bonum et largum apportabat. Postea imperabat: «Digitum monstra, spectabo ut te mox devorem!» Haensel feminae antiquae non digitum, sed ramum tenerum monstrabat. Quod digitus falsus macer erat, femina Haensel non mactabat. Sed olim ramum spectabat et valde mala erat. Vocabat: «Cras te mactabo!»

Liberi valde timidi erant; Gretel curabat ut Haensel liberaret. Gretel cenam magnam parabat. Sed Gretel pigra erat. Femina antiqua Gretel vituperabat et in flammis spectabat. Tum Gretel feminam falsam et malam in flammis jactabat.

Postea Gretel Haensel e cavea liberabat. In tecto pretiosa multa spectabant. Liberi se auro et argento onerabat et in patriam remeabant.

Ibi duo beati et laeti erant, et nisi mortui, etiam nunc in vita sunt.


Monaci, in Germania.

REGINA RIPPEL
puella 10 (decem) annorum

Nescis, optima Regina, quanta animi delectatione scriptiunculam tuam legerim et bellissimas picturas a te adumbratas inspexerim. Video te litteris Latinis studiose operam dare ut ex scripto tuo luculenter patet. Sic in studiorum curriculo emetiendo perpetuo progredi conare et multum sane proficies. Magistram tuam, spectatissimam feminam Gertrudem Auer, meis verbis salutem dices eique gratulaberis quod vos linguam Latinam tanta sollertia doceat.

MODERATOR

CAVE LEONEM



IN TRANSVERS'JM:

1, Aequor. - 2, Manes. - 3, Navis contexta trabi-
bus - 4, Pecten dentibus ferreis ornatus ad colendos
agros. - 5, Litterae e verbo «saliat». - 6, Littera. -
(Litteris versis) firmo. - 7, Conjunctio condicionalis. -
Littera. - Conato (*part. dat.*). - 8, Instauro. - Prima
syllaba e verbo quod divitias comparare significat. -
Quantitas. - 9, Rotunditas. - Littera. - 10, Privat. -
Littera. - Littera. - Littera - 11, Adjectivum demons-
trativum - Res similis marinae conchae (*ac.*). - Litte-
ra - Littera. - 12, Conjunctio condicionalis. - Dilatio.
- Littera. - 13, Diversus. - Adjectivum demonstrati-
vum - 14, Promunturium - 15, Littera. - Constat. -
16, Conjunctio. - Oris hiatus (*abl.*). - 17, Pronomen
personale. - Adjectivum demonstrativum. - 18, Litte-
ra. - Littera. - 19, Animal ferox. - Consisto.

IN PERPENDICULUM:

1, Littera. - 2, Adjecti-
vum demonstrativum. - Lit-
tera. - 3, Praepositio. - Prae-
positio. - 4, Littera - Facies.
- 5, Praepositio. - Udor. - 6,
Litterae consonantes e verbo
«Res». - Littera, - Privatum.
- 7, Littera. - Unus ex filiis
Ulixis. - Stolidus - 8, Levi-
ter. - Littera. - 9, Reciprocus.
- Conjunctio (*litteris versis*). -
Verres. - Littera. - 10, Homo
improbus. - Limosus locus. -
Defendo. - 11, Rota. - Cantica.
- 12, Signum facere. -

13, Piscis similis delphini. - 14, Litte-
rae e verbo *ductas*. - 15, Littera. - Pro-
nomen personale. - Littera. - 16, Litte-
ra - Cubitus. - 17, Terra. - 18, Littera.
- 19, Supplicium apud Graecos.

Misit. J. ESLAVA, *adul.* - *Celsonae*

FAMULA CALLIDA

Quidam herus, cum dimidium meri,
quod cadus sigillo munitus continebat,
desideraret, causam inquirens. In infi-
ma cadi parte foramen repperit Famula
accessita: «Quisnam, inquit, merum te
bibere persuasit, quod deest?» «Quare,
respondit, me extraxisse suspicaris?»
«Hocce foramine». «At, domine, etsi
foramen fecissem, desuper vinum dees-
se non vides, cum foramen infra sit».

JESUS M. RIBA, C. M. F. *Celsonae*


Homo quidam ignarus accepit quon-
dam litteras; qui cum intellegere non
posset, rogavit scholasticum ut sibi
epistulam legcret. Vix tamen ille legere
inceperat cum homo ignarus:

—Exspecta, inquit, dum aures tuas
occludam ne intellegas quae in litteris
sunt scripta. Vos enim Scholastici val-
de nebulones estis». JOSEPHUS COMAS

—«Verumne est sex homines qui
simul tibi minabantur velocissime exte
fecisse?


—«Ita est, et fugientem me depre-
hendere non potuerunt».

BENJAMINUS M. FORCANO



(Pinxit J. BERUETE, *Celsonae*)

HORATIUS COCLES



PORSENNA, REX ETRURIAE,
ROMAM OLIM INFESTO EXERCITU
VENIT. URBS, VERO, MURIS ET TI-
BERI OBJECTO VIDEBATUR TUTA



2

JANICULO POTITUS, JAM IN UR-
BEM ERAT PONTE SUBLICIO INGRES-
SURUS NI UNUS VIR FUISSET :




FERRO IGNIQUE PONTEM INTERRUM-
PITE, EGO IMPETUM HOSTIUM UNUS
EXCIPIAM

3


HORATIUS COCLES. QUI VADIT IN PRIMUM
ADITUM PONTIS UT HOSTEM REPRIMERE
POSSIT.

4 SERVITIA REGUM SUPERBORUM,
 NOSTRAE LIBERTATIS IMMEMORES,
 ALIENAM OPPUGNATUM VENITIS



PROELIO CONCERTO, OMNES
 INCREDARE COEPIT.

5 ET IAM DETRUDEBANT
 VIRUM CUM...



... FRAGOR RUPTI PONTIS
 ET CLAMOR ROMANORUM
 SUBITO IMPETUM SUSTINUIT.

TUM COCLES ARMATUS IN TIBERIM
 DESILUIT



TIBERINE PATER, TE, SANCTE, PRECOR
 HUNC MILITEM PROPITIO FLUMINE ACCIPIAS.

6 ... GRATA, ERGA TAN-
 TAM VIRTUTEM CIVITAS,
 ALIIS DONIS EI OBLATIS,
 STATUAM IN COMITIO PO-
 SUERUNT.



8

MULTISQUE SUPERINCIDENTIBUS TELIS,
 INCOLUMIS AD SUOS TRANAVIT.



7

«Horatii Coclitis» narrationem ex T. Livio desumptam ita interpretatus est illamque satis scite descripsit adolescens D. Ruiz, Celsonae, in Collegio Claretiano, Philosophiae alumnus.

MISCENTES UTILE DULCI...

MORES EX MORIBUS FINGITO

Quidam Platoni rettulit esse nonnullos, qui ipsum convictis et maledictis insectarentur. «At ego, inquit, ita mores componam, ut illis fides nulla habeatur».

Nec minus acutum illud Socratis: Acrius objurganti familiarem quempiam in convivio, Plato dixit: «Nonne satius erat haec illi dixisse seorsum?» Cui Socrates: «An non tu quoque rectius fecisses, si haec mihi seorsum dixisses?».

Eidem Socrati quidam objiciebat, quod ipsius enthymemata lucernam olerent, significans illum non nisi de scripto et ad lucernam elucubrata dicere. Quod dictum ita retorsit philosophus, ut diceret, non eodem pretio sibi et illi constare lucernam. Notans, quod ille nocturnis conviviis indulgeret, plus impendens luxui, ipse studio.

IMPERATORUM LEMMATA

Claudius Drusus ex boleto venenato, fraude uxoris Agrippinae periit a. Ch. a. 56. Ejus lemma fuit: *Generis virtus nobilitas*.

Domitius Nero, cum quaereretur ad necem, se ipsum interemit a. Ch. a. 68. Agrippina, mater ejus, cum intellexeret ex praesagio, filium aliquando regnaturum, sed cum caede matris, «occidat, inquit, modo regnet». Is primus omnium Imperatorum in Christianum nomen saevire coepit, Beatis Petro et Paulo e medio sublatis. Lemma: *Artem quaevis terra alit*.

Sergius Galba, a Gallis Hispanisque exercitibus Imperator; ob nimium tamen militum rigorem in foro Romae occisus est a. Ch. a. 69. Lemma ejus ita habet: *Miles legendus, non emendus*.

SAPIENTIUM DICTA

Socrates, interrogatus, quid esset prudentia? Animaе —respondit— concinnitas. Nec equo —inquit— sine freno, neque divitiis sine prudentia tuto quis uti poterit. Praeterea, soli prudentiae, tanquam consultissimo tutori, ut vitam omnem, ita maxime juventutem credere (*entregar*), convenire dicebat. Et sciscitatus, quinam prudentes essent? Qui non facile delinquent, respondit. Adhortabatur subinde suos discipulos ut haec tria in omni vita sibi pararent: ut in animo scilicet haberent prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam.

ANTIQUI GENTIUM MORES

Aethiopes, dum eorum Imperator sternutat, qui adsunt, extemplo venerabundi, concepta verba, quibus bene precari consuevimus, tanto clamore proferunt, ut facile omnes, qui in aula degunt, percipiant, et faustas consalutationes elata et ipsi voce congeminent. Quibus auditis prorumpunt ilico in similes festivos clamores ii, qui versantur in foro domibusque adjacentibus. Quo fit, ut tota simul urbe sternutamentum Imperatoris celebretur.

Turcae multum honoris deferunt chartae, eo quod in ea nomen Dei scribi soleat, itaque chartulam nullam humi jacere patiuntur, et si in aliquam incidant, subito attollunt, rimaeque alicui, aut foramini indunt, ne pedibus proteratur.

PAEDAGOGUS

AENIGMATA

14. Sum quod eram, nec eram quod sum: nunc dicor utrumque.

15. Res volat in silvis nigro vestita colore:
si caput abstuleris, res erit alba nimis.

16. Aspicio solem mutilus, navalia totus,
pars extrema solet flectere saepe Jovem.

Non potes servire duobus. — Haec duo non animum possunt intrare sub unum:
Vanus amor mundi, verus amorque Dei.


Medium servare memento. — Nec nimium taceas, nec verba superflua fundas:
Sed medium teneas, quo bene semper eas.

Parva cura, nam. — Ex nuce fit corylus; de glande fit ardua quercus:
Ex parvo puero saepe peritus homo.

PAEDAGOGUS



—Quid chocolatam gallinis praebes?
— Ut ova cum chocolata commixta
pariant.



—Magister, filius meus hodie ludum
adire non poterit.
—Quocum colloquor?
—Cum patre meo.

SOLUTIONES (Cfr. PALAESTRA LATINA, a. 1955, Fasc. IV, p. 254 - 256)

AENIGMATA: 10 Dies - Nox
11 Muscatum
12 Annus - Pannus
13 Castanea

ABACUS VENEFICUS INTERPRETATUR

O fortunatos nimium, sua si bona
norint, agricolas! (VERGIlius)

PICTURAE IN VERBA CONVERTUNTUR:

Inter - f - u - sus
Sub - i - tus
Post - e - a

LUDUS LATRUNCULORUM EQUI

Aedibus in propriis canis
est mordactor omnis (CICERO)

SCALAE SANCTITATIS

i	h	g	f	e	d	b	b	a
N	O	V	E	R	I	M	T	E
o	b	e	d	e	m	a	e	u
m	v	r	o	f	b	i	n	h
e	i	s	c	e	r	u	u	o
N	O	V	E	R	I	M	M	E



ABACUS VENEFICUS

	1	2	3	4	5	6	7
	8	9	10	11	12		13
14	15		16	17	18	19	20
21	22		23	24	25	26	27
28	29	30	31		32	33	34
35	36	37	38	39	40	41	

Turbidi	38	5	16	26	12	27	14	2	22	9
Fundae	1	30	37	4	39	20	28	34	19	
Chamaepitys	10	33	15	24	7	35	23	41		
Sanguis	13	31	36	17	3					
Puella	6	40	18	11	8					
Elinguis	25	21	29	36	32					

OLEGARIUS HERREROS, C. M. F.

(Celsonae)




Magister. - Quinam homines raro vident solem?

Discipulus. - Ebrui, vivunt enim in obscuris.

Praeceptor. - Responde, quaeso: cur anulus in sinistra gestatur?

Discipulus. - Ut a dextra defendi possit.

PAEDAGOGUS



PUER, RES IN VERBA CONVERTE, ET LEGE (BERUETE)

-Quare pecuniam, quam ad pittacium (sello) emendum tibi dedi, mihi reddis?
-Quia epistulam in capsam cursus publici nullo vidente, immisi.

PRUDENS PUER

In pharmacopolio:
-Da mihi delentimentum dolori.
-Ex quam re laboras?
-Adhuc nescio, notationes enim hujus cursus pater nondum vidit.

BENJ. M.^a FORCANO

Tantum erat caput cujusdam hominis ut, habita insolatione, aestas cessaret.

JESUS CABRÉ

IN SCHOLA

-Quod animal omnium pigerrimum esse dicis? -Testudo.

-Minime Est certe testudine animal pigrius. -Nescio quod.

-Corvus, quia semper clamat: «Cras, cras, cras».

JOSEPHUS RAMIRO

Cum grano salis. - Qui patrem suum necat et carnem pauperibus dat, non peccat.

NOTAE. Suum, hic est genitivus numeri pluralis, «sus, suis»: - «el puerco», Germanice: das Swein, Britannice: swine.

L. LATKOVSKI

BIBLIOGRAPHIA

ALOIS WALDE. — *Lateinisches etymologisches Woerterbuch*. Dritte neubearbeitete Auflage von J. B. Hofmann Register-Lieferung 1, 2, zusammengestellt von Dr. Elsbeth Berger. Carl Winter — Universitaetsverlag, Heidelberg, 1955.

Waldense illud, scientiae linguisticae et philologicae decus ornamentumque, etymologicum dictionarium jam tertio in lucem editum nuperrime consalutabamus. Quae tertia editio a praefato Professore J. B. Hofmann sedulo exarata atque parata est.

Operi vero absoluto nunc indices, complementi atque consummationis causa, huiusmodi cura Doctoris E. Berger in unum collecti, adnectuntur. Duo primi fasciculi ad nos missi sunt. Lucubratio complementi atque absolutio inquam, maximi tamen studii momenti ac perquisitius elaborata.

Latinis omnino omissis nominibus, in primis Italica nomina propria notantur (pp. 1-4). Ea sequuntur verba dialectorum Italicorum (pp. 4-15). Tum Romanicarum linguarum verba (pp. 15-17); et Indica verba (pp. 17-42); Iranica (pp. 42-50); Medica, Persica (pp. 50-52); Armenica (pp. 52-58); Tocharica (pp. 58-60); Hethaica (pp. 60-62). A pagella vero 63 ad 80 primi fasciculi, atque a pagella 81 secundi ad 118, verba Graeca uno tenore consequuntur. Denique vocabula Albanica, Illyrica, Venetica, Gallica, Britannica (pp. 118-160). Uol autem opus est, et diversa «alphabetica», et litterarum signa maxima typorum cura adferuntur.

Tusculum Lexikon der griechischen und lateinischen Literatur vom Altertum bis zur Neuzeit. Ernst Helmeran Verlag, München.

Opus illud «Griechisch lateinische Literaturführer», a praefato viro Eduardo Stemplinger anno 1934 in vulgus editum, novo nunc nomine novaque cura atque studio cl. Editoris Ernesti Helmeran, in doctorum discipulorumque commodum, apparet.

Litterarum ordine in hoc volumine, cum scriptorum nomina tum ipsorum opera invenes, qui Graeca et Latina usque lingua, a pristinis ad nova usque tempora conscripserunt. Auctores ibi classici cum eorum praecipuis operibus; historici et theologi temporis Byzantini; philosophi alique in varia scientiae naturae provincia scriptores aetatis mediae; litterarum cultores saeculorum consequentium mire colliguntur atque recensentur.

Itaque in 1350. litterarum ordine, digestis articulis omnia scitu digna de vita operibusque praecipuorum Graecorum et Latinorum scriptorum omnium temporum, una cum interpretationum recensione, a claro scriptore disponuntur atque evulgantur. Locupletior in libro de re bibliographia, quae lectori abs dubio cordi erit. In nomenclatura tamen scriptor Censorinus, cui adeo scientia chronologica debet, desideratur. Opus vero omnibus commendandum, qui Graecis et Latinis litteris studium sedulum navare voluerunt.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

POST EDITOS COMMENTARIOS certiores facti sumus **Primum Congressum Hispanicum ad studia classica promovenda** Matrili congregatum iri a die 15 ad diem 19 m. Aprilis, non vero a die 19 ad 23 m. Martii, ut lectoribus, p. 46 huius fasciculi, nuntiatum est.



VISNE LOQUI LINGUA LATINA?

Ut Romanorum lingua cum amicis colloqui possis atque in novis rerum inventis aptam in promptu semper habeas vocem Latinam, librum tibi in sermone adhibe socium, cui index

NOVA ET VETERA

a **Jos. M.^a Mir, C. M. F. conscriptum**

En totius operis conspectus:

- | | |
|---|---|
| 1. Schola. Lyceum. Aula. | 10. Villa verno tempore. |
| 2. Corpus humanum. Animi relaxatio. Ludi. | 11. Messis: agri aspectus. |
| 3. Infantia et adulescentia. Sollemnia baptismatis in vico. | 12. Venatio. Vindemia. Piscatio. |
| 4. Festum publicum. | 13. Mons. Balnea. |
| 5. Juventus et senectus: Nuptiarum epulae. | 14. Silva. Venatio. |
| 6. Juventus et senectus: Dies natalis avi. | 15. Mare. Portus. |
| 7. De domo ejusque constructione. | 16. Urbs ejusque monumenta. Incendium. |
| 8. Pars interior domus: supellex, victus, illuminatio. | 17. Statio. Ferrivia. Naves. |
| 9. Vicus hiberno tempore. | 18. Deversorium. Caupona. Cafeum. |
| | 19. Via. Mercatores. |
| | 20. Macellum. Penus. |
| | 21. Receptaculum. Taberna universalis mercium. Crepundia. |

Prostat in officina Libraria: **GRAFICAS CLARET**

VENIT: 20 pesetis

Lauria, 5

BARCELONA

Ex officina typographica F. Camps Calmet - Tarregae (In Hispania)

www.culturaclasica.com